

sus, apud Augustam more regio pascha celebravit, atque non multo post pro adipiscendo honore imperiali ac Romanorum regno, *Italiam* iturus, *Tiburiam* devenit; ibique sub multo populi conventu, ordinatis sapientissimè rebus, iter destinatum, una comitante Regina, aggredditur; filiamq; unicam unice dilectam, dilectæ ac adoptivæ sibi sorori, *Adelheida* videlicet Abbatissæ, nutriendam transmittunt. Mox quoque, percepto Dominæ *Beatricis* adventu, præfata Imperialis Abbatissa, *Trobiki* cum suis occurrens, læta *Quidelingeburgensem metropolim* secum duxit. Quo vero honore, ut regiam decuit prolem; quoque caritatis affectu; quæve diligentia ab ipsa ac sanctimonialibus, in loco præmemorato consistentibus, omnibusque sibi subditis suscipiatur ac postmodum nutriatur; vel qua morum, verborum actuumque indole, per singula ætatis incrementa, profecerit, scire aut facundia in dicendo nulla suppetit. Quamque laude proferam, quod inter prima.

## XXV.

ANNALES ANTIQVI  
CORBEIÆ SAXONICÆ

subinde continuati.

**D**CCCXV. Kal. Jul. in solempni curia, quam in *Patherbrun* habuit *Lothewicus*, Karuli F. fundatio *Corbeia* Saxonica, ob votum patris & laudabilem pietatem Regis, decreta & cœpta est.

DCCCXVI. Iunior *Adelartus*, Abba veteris *Corbeia* in saltu fabricare cœpit ad similitudinem aureæ *Corbeia*, Ordinis. S. P. N. Benedicti.

DCCCXVII. Tres stellæ fulgebant in hoc novo cœlo Saxonico, *Adelartus*, *Werinus*, & *Ansgarius*, qui errantibus in tenebris viam monstrabant ad cœlum.

DCCCXVIII. Ferbuit religio in loco tenui & solitudine sylvestri.

DCCCXIX. Circa finem anni magnus factus terror & confusio à tempestate insolita.

DCCCXX. Fratres sereniora sperantes acrius & ardentius sacra curabant.

DCCCXXI. Verum summam eorum penuriam, ad majorem sui glóriam, divina ordinabat providentia. *Casus*, Abba cœnobii in *Visbeci*, cum omnibus suis, sub Regia defensione & emunitatis tuitione recipitur.

DCCCXXII. Fratres de saltu ex *Hechi* migrant partim ad *Wisarah*, & secundum primi Fundatoris nostri Karuli intentionem, in villa *Hüxori* fabricare cœperunt, in honorem Dei & B. Stephani, primi Martyris N. T. consecrante antea locum *Batburato*, Episcopo in *Patherbrun*, VIII. Kal. Sept.

DCCCXXIII. Primus autor & Abba hujus *Corbeia* ad *Wisarah* est *Adelartus senior*, consanguineus *Karuli* & *Lothewici*, exul nuper, nunc cum Rege reconciliatus, Vir sanctus & utilis.

DCCCXXIV. In ligneo templo omnia vasa Dei aurea cum admiratione Saxonica.

DCCCXXV. Sub bono enim Pastore grex Domini auctus & adamatus est miserabiliter.

DCCCXXVI. *Lothewicus* Rex, una cum *Lothario* suo, monasterio donat capellam in *Heresburg* cum omnibus rebus. *Adelartus* noster obit in bona senectute. Succedit (\*) frater eius *Werinus*, nobilis Francus.

DCCCXXVII. *Ansgarius* Apostolatûs munus subiit cum fratre *Auberto*, desideratus à *Heriolto* Rege converso. *Thiagrinus* noster fit Episcopus in *Halversied*.

DCCCXXVIII. Bona cum religione & cœtu fratrum crevère in immensum.

DCCCXXIX. *Werinus* Abba ex periculoso morbo, ob votum *S. Laurentio* factum, feliciter reconvalescit.

DCCCXXX. *Hildovinus*, Abba *S. Dionysii*, pro salutari pœnitentia missus est *Corbeiam*. *Werinus* Lothewico Regi semper fidelis: confirmatur traditio regis villæ *Hüxori*, cum omnibus finibus & appertinentiis, facta *Adelarto* in perpetuum.

DCCCXXXI. *Ansgarius* noster Episcopus in *Hammaborg* designatur à Rege *Lothewico*, & *Gaubertus* in *Specia*.

DCCCXXXII. Accipit monasterium piscationem in *Wisarah*, in pago *Wimodia*, cum XXXII familiis. *Nithartus* noster primus in *Svecia* Martyr.

DCCCXXXIII. Mercatio publica cum jure monetandi datur ab eodem *Lothewico*: item facultas coquendi falem in DUCATU *Butbinveldio*.

DCCCXXXIV.

(\*) VVerinus non fuit frater Adelarti. qui Francus erat, ipse Saxo filius Ecberti & Idæ.



DCCCXXXIV. Cella *Meppia*, cum omnibus suis rebus à *Werino* acquiritur, & *Sulbich* ac *Hemlion*, villæ regię. *Geroltus*, nobilis Francus, monasterium intrat spreta vanitate mundi. *Ansgarius* noster nunc constituitur *Episcopus in Hammaborg*, consecrantibus eum *Drogone* Metensi, *Ebbone* Rhemenfi, *Heddone* Treverienfi &c.

DCCCXXXV. *Walo*, Adelarti nostri frater, carnalis & spiritualis, in Corbeia aurea Abba, moritur.

DCCCXXXVI. Sanctum *Viti* corpus fertur in Corbeiam ex Francia: & ex eadem *S. Lioborius* ei Patherbrun. Qui thesauri omnium Regum mortalium thesauris pretiosiores sunt.

DCCCXXXVII. *S. Meynolphus* monasterium Sanctimonialium fundat in *Bödeke*. Confrater noster *Athaloltus* vir totus spiritualis, moritur Id. Maji, quem diem *S. Viti* in somnio ap- parens in prædixerat, dicens simul horam emortualem. Et ita factum est.

DCCCXXXVIII. *Adila*, proba matrona multa contulit monasterio in *Osthov*, *Openbem* & *Wachenbem*, firmante omnia *Lothewico* Rege.

DCCCXXXIX. *Preratbertus*, Commonachus noster, claruit pietate & doctrina, à *Bathurato* Episcopo in Patherbrun valde dilectus.

DCCCXL. Obiit *Thiagrinus*, confrater (\*) noster, Episcopus in *Halversted*, *S. Liutgeri* nepos.

DCCCXLI. Nobilis vir *Esico* villam suam *Kastinaca* dedit SS. Martyribus *Stephano* & *Vito* in Corbeia.

DCCCXLII. Villa nostra *Gadelbem* conflagravit per culpam pueri furiosi.

DCCCXLIII. *Hildibodo* Decanus noster moritur: *Preratbertus* Lector eximium librum scripsit de fide, spe & caritate. Ovo, Magister caritatum, in Abbam promotus est.

DCCCXLIV. Totam Insulam *Rugatensem* ob victoriam, per intercessionem *S. Viti* Martyris nostri impetratum, *Lotharius* (\*\*) eidem Sancto in Corbeia, cum omnibus rebus suis, tradit in perpetuum.

DCCCXLV. *Lothewicus junior* Rex confirmat privilegia nostra, datque simul liberam potestatem eligendi ex congregatione nostra Abbam secundum regulam *S. P. N. Benedicti*. Idem Rex dedit mansos multos in *Hemlio* & in pago *Guottingo*, cum omnibus rebus suis. *Ansgarius* noster fit simul Episcopus *Bremensis*, quas duas parochias administravit fideliter.

DCCCXLVI. *Deddo*, religiosus Pater, à *Werino* ad *Normannos* missus cum *Ailboldo* nostro. Schola maximè floruit cum incremento *Saxonie*.

DCCCXLVII. Pius *Meynolphus* moritur, multis miraculis clarus.

DCCCXLVIII. *Heloco* fit Lector, & *Helmricus* Præpositus: *Werinus* Abba, tam in spiritualibus quam temporalibus, commissis sibi (\*\*\*) duobus monasteriis fideliter prospexit, apud omnes acceptus.

DCCCXLIX. *Alfredus*, Commonachus noster, fit Episcopus in *Hilleneshem*, vir Deo & omnibus carus.

DCCCL. Sepultus in capella nostra ad muros *Florianus de Velhusen*, Gerlonis, Commonachi nostri, pater, benignus monasterii benefactor. Quiescat in pace!

DCCCLI. *Gieso de Bottezen* conversus omnia sua *S. Stephano* & *S. Vito* tradidit.

DCCCLII. Multa bona à fidelibus Christi Monasterio & FF. acquisivit *Werinus*, laudabilis Abba.

DCCCLIII. *Lothewicus junior* Rex omnes donationes *Corbeiensium* & *Herivortiensium* confirmat perpetuo. *Bunico* noster ad Prælaturam vocatus, maluit in cella sua Deo servire quam super alios cum periculo animæ suæ dominari.

DCCCLIV. *Ramvartus* noster, Capellanus Episcopi in *Mindin*, propter obitum Antistitis ad choram suam reversus, fit Capellanus *Werini*.

DCCCLV. *Lothewicus junior* Rex, cellam *Visbecci* in Diocesi *Mindinensi* tradit monasterio nostro cum jure perpetuo. In summo flore & dignitate constituta *Corbeia* per Dei gratiam & fidelitatem ac industriam *Werini*.

DCCCLVI. Verum optimus pater mox febrî acutâ peremptus anno sedis suæ XXX. cum Iuctu omnium, postquam antea nervosum sermonem ad totam congregationem suam habuisset. Deus miserere ejus, ut quiescat anima in pace!

DCCCLVII. Successit *Adelgarius*, *Adelgarii*, postea *Bremensis* Episcopi, frater, qui spectabilem habuit conventum.

DCCCLVIII. Abbo, Camerarius noster, in flumine periit, ex itinere suo *Hilleneshemensi* ad Matrem suam reversurus. Creverat fluvius iste ex perpetuis pluviis, & incautum absorpsit.

DCCCLIX. Mortuus *Vicinus* noster Episcopus *Bathuratus*. Quiescat in pace! Successit *Luitbebartus* Saxo. Anno fit Decanus: *Alfgerns* verò Abba: & paulò post *Orbaltus* Lector alio in loco.

Pp

DCCCLX.

(\*) Fuit *VVerthinenfis*, non *Corbeiensis*.(\*\*) Imò *Ludovicus Germanicus Lotharii* frater.(\*\*\*) *Corbeienfi* & *Herevordenfi*.



- DCCCLX. S. Virgo *Pusinna* ex Francia in *Herivortienſe* monaſterium fertur cum magno júbilo Saxoniz. Solempni proceſſioni *Luitbebartus* Epifcopus & *Adelgarius* noſter interfuert cum ſingulari devotione. *Rembertus* noſter fit Paſtor in *Ripen*. Omnia ſuccedunt feliciter.
- DCCCLXI. *Waltericus* Commonachus fit Lector in monaſterio S. Petri in *Erpenesburt*; mox autem Abba in alio monaſterio, vir devotus, doctus, & pauperum refugium.
- DCCCLXII. *Emico*, Aquilicampenſis, *Huolti* noſtri frater carnalis, multas dedit eleemoſynas liberaliter, ut animæ eius bene fit!
- DCCCLXIII. *Adelgarius* noſter fundat Eccleſiam S. Pauli prope Corbeiam, *Negenkerken* dictam, quam *Luitbebartus* Epifcopus confecravit.
- DCCCLXIII. Intulit eidem Eccleſiæ reliquias S. *Luitrudis* Virginis, & alias undiquaque collectas.
- DCCCLXV. Sepulturam in monaſterio ſibi emit *Hildeboltus* de *Beuern*, *Folethagi* noſtri avunculus.
- DCCCLXVI. *Rembertus* noſter fit Epifcopus, & ſuccedit *Anſgario* noſtro: induit tamen prius ſacrum habitum in monaſterio noſtro, ſumens ſecum *Adelgarii* noſtri Fratrem, ſucceſſorem poſtea in parochia *Bremenſi*.
- DCCCLXVII. *Lothewicus* junior devotionem ſuam habuit in monaſterio noſtro, laudans diſciplinam regularem Fratrum, imo dicens: *nullam beatiorem vitam eſſe, quam Monachorum Deo ſemper famulantium.* Ex *Corbeia* ivit cum *Adelgario* *Herivortium*, ſanctitatem Sanctimonialium admirans.
- DCCCLXVIII. Interfuit *Adelgarius* noſter Concilio *Wormatienſi*, in quo fundatio Monaſterii in *Herfen* confirmatur ſolempniter.
- DCCCLXIX. Divina lux in ipſa vigilia S. *Viti* colluſtrabat cellam, in qua victualia noſtra.
- DCCCLXX. *Manno* de *Lutborſt* in campo prope *Hüxori* noctu innocenter occiſus, ad preces fratris ſui *Alferici*, Commonachi noſtri, in Monaſterium delatus, & ibi humatus eſt. *Anſgarius* noſter moritur dyſenteria.
- DCCCLXXI. *Eccericus* ex milite fit Confrater noſter & obſequens filius, antea ferus homo. Obit Decanus novæ Eccleſiæ.
- DCCCLXXII. Interfuit *Adelgarius* cum aliis ſolempni conſecrationi Eccleſiæ *Hilleſbemenſis* ab *Alfredo* Commonacho noſtro, Epifcopo ibidem, conſtructæ. *Adrianus* Papa omnia *Corbeienſia* [privilegia] confirmat. Tres turres templi noſtri conſtructæ ſunt.
- DCCCLXXIII. Acquiritur Præpoſitura *Lirzieb*, ex donatione *Lothewici* Regis. Confirmatur fundatio Monaſterii Sanctimonialium in *Effen*, quam fecit *Alfredus* noſter Regiâ prorfus magnificentiâ. *Lothewicus* Rex *Corbeiam* immunem reddidit à decimis Epifcopalibus.
- DCCCLXXIV. *Georg.* de *Lobren* obtulit filium ſuum *Baddonem* cum magna eleemoſyna, receptus à Congregatione noſtra cum tota familia ſua in fraternitatem.
- DCCCLXXV. In tranſitu pernoctavit *Luitbebartus* Epifcopus in Monaſterio noſtro, per benignè exceptus ab *Adelgario* & toto Convëntu.
- DCCCLXXVI. Moritur *Adelgarius* noſter. Sic Mater noſtra vidua fit. Succedit *Tancmarus*, bonus Pater.
- DCCCLXXVII. Obit *Alfredus* noſter Commonachus, Epifcopus *Hilleſbemenſis*, quem omnes boni lugent. Succedit *Luitolphus* noſter, ſed ante confirmationem mortuus.
- DCCCLXXVIII. Obit *Tancmarus*, Abba noſter. Sedit VIII menſ. IV dies. Succedit *Avo*, vir ſeverus & pius, benefactor novæ Eccleſiæ.
- DCCCLXXIX. *Heribortus*, Commonachus noſter, fit Abba monaſterii S. Petri in monte *Erpenesburt*.
- DCCCLXXX. Obit *Avo*, longiori vitâ dignus. Succedit *Bovo*, Vir circumſpectus.
- DCCCLXXXI. *Ganzelinus* de *Malsborg* filium ſuum donavit SS. Martyr. *Stephano* & *Vito*, cum multis argenteis & aureis donariis, qui poſtea dictus eſt *Wiſfridus*.
- DCCCLXXXII. *Karulus* Imp. Aug. omnia jura, bona & privilegia noſtra ſolempniter confirmat, recipiens Monaſterium in Imperialem tutelam.
- DCCCLXXXIII. *Wiſbertus*, Commonachus noſter, electus in Epifcopum *Hilleſbemenſem*.
- DCCCLXXXIV. Frater noſter *Solatus*, religionis propagandæ cauſa, ad *Normannos* miſſus.
- DCCCLXXXV. *Wimo* Lector noſter, ob expeditam doctrinam & accuratam informationem, magni habitus ubique.
- DCCCLXXXVI. *Stephanus* Papa Eccleſiam noſtram, ut *Hilleſbemenſem*, ſub defenſione ſpeciali Apoſtolicæ Sedis ſuſcepit. Vicinus noſter *Luitbebartus* Epifcopus obit.
- DCCCLXXXVII. *Byſo* fit Epifcopus in *Patherbrun*: ſemper nobis adverſatur.
- DCCCLXXXVIII. *Arnulphus* Rex omnia privilegia confirmans, ipſum monaſterium in defenſionem ſuam ſuſcipit, & multa bona ſancto loco confert. Celebratur Synodus *Maguntia*.



guntia, jura nostra auctoritative defendens. *Rembertus* noster, Episcopus Brem. & Ham-  
mab. obit.

DCCCLXXXIX. *Evilpus*, (\*) Commonachus noster, fit Episcopus in *Halversted*, Iussu  
*Arnolphi* Regis decimæ redduntur Ecclesiæ in *Offenbrug*. Fundatio *Metelenfis* Monasterii con-  
firmatur ab *Arnulpho* Corbeix præfente.

DCCCXC. Obit *Bovo* noster. Quiescat in pace. Successit *Godescalcus*.

DCCCXCI. Corpus S. *Iustini* Mart. è Francia in monasterium nostrum delatum cum  
magna processione.

DCCCXCII. Terribilis visio apparuit Commonacho *Alfrico*, qui tamen defensus à S.  
*Vito*, nihil mali inde passus est.

DCCCXCIII. *Godescalci* nostri frater carnalis in capella ad muros conditus est. Dedit  
pro requie sua multa.

DCCCXCIV. Claruit *Adalvartus*, Confrater noster, Episcopus in *Suecia*, multas lucrans  
animas.

DCCCXCV. *Theodegarius*, Confrater noster, passionem Dominicam pennâ artificiosè  
*depictam*, Conventui dedit pro memoria sui, quod artificium omnes laudant.

DCCCXCVI. Fundatur monasterium in *Mollenbeck* in honorem S. Dionysii. *Evilpus* Epi-  
scopus in *Halversted* obit. Duo Canonici S. Pauli associant se ordini nostro.

DCCCXCVII. Admirabilem canem habuit *Godescalcus* noster, cuius prudentiam (si ita  
loqui licet) omnes mirati sunt. Edoctus ita à F. *Baddone*, ingenioso Monacho.

DCCCXCVIII. *Rotholphus* de *Albacia*, mortuâ conjuge suâ monasterium ingressus, omne  
quod habuit, eidem contulit.

DCCCXCIX. F. *Apollinaris* mortuus est morbo, quem Græci vocant *phthiasin*.

DCCCC. Resignanti *Godescalco Bovo II* Venerabilis Pater successit. *Lothevicus*, *Ar-  
nulphi* Regis Filius, omnia privilegia nostra confirmat.

DCCCCI. *Addasto*, doctus Commonachus, scripsit *Commentarium in Prophetam Danielem*,  
& obtulit eam Episcopo *Hillebeshemensi*.

DCCCCII. *Audalius* noster migrat ad montem *Casfinum* cum testimonio Abbæ.

DCCCCIII. Obiit *Wigbertus* noster, Episcopus *Hillesbemensis*. Quiescat in pace!

DCCCCIV. *Monstrum equi* nascitur in Villa aliqua nostra, habens caudam è fronte,  
super oculos dependentem: alias bene conformatus. Amputatâ caudâ statim mortuus est.

DCCCCV. Dysenteria grassatur inter porcos, quâ omnes ferè peribant.

DCCCCVI. *Chrysofomus* noster abit ad *Corbeiam auream* in Francia, perhumaniter  
exceptus à tota Congregatione. Altero verò anno obit ibidem. Quiescat in pace! *Hunni* perer-  
rant Saxoniam.

DCCCCVII. *Bovo* ad Metropolitanum nostrum abit, reportans multa bona pro Mo-  
nasterio nostro.

DCCCCVIII. Visitavit *Bovo* cum *Hoboldo* Priore & *Bernmaro* Capellano omnes Ecclesias  
suas magno studio.

DCCCCIX. *Helmdagus*, olim Lector, fit Abba in peregrino monasterio.

DCCCCX. *Adelgerus* ex monte *Casino* rediit, & attulit insignem portiunculam de S. P.  
N. *Benedicto*.

DCCCCXI. F. *Gumbarius* ex lapsu de turricula capellæ claudus factus, & iterum ex la-  
psu de gradibus versus refectorium perfecte sanatus est.

DCCCCXII. *Bovo* struxit capellam in honorem S. *Martini* Episcopi.

DCCCCXIII. *Chounratus* Rex, præfens Corbeix, omnia privilegia nostra confirmat,  
Visitat etiam *Herivortium*.

DCCCCXIV. Multæ *saga* combustæ sunt in territorio nostro.

DCCCCXV. Obit *Hogerus* Bremensis; succedit *Wymo*, uterque noster.

DCCCCXVI. Obit *Bovo* Abba phthicus. Quiescat in pace! Succedit *Volkbmarus*.

DCCCCXVII. *Albertus* de *Amlunxia* doctus & devotus, ex *Corbeia aurea* & monte *Cas-  
ino* reversus, multa attulit pretiosa, receptus utrobique in fraternitatem. Intravit tandem  
caelebs in senio suo Monasterium nostrum, & dictus F. *Nisbartus*. *Hunni* vastant monasterium  
& omnia in vicinia.

DCCCCXVIII. Instauravit & dilatavit *Volkbmarus* Ecclesiam & pomarium, ut potuit:  
bonus Paterfamilias & religiosus Abba, amor omnium: sed quem Deus in horribilia tempora  
reservârat, ob mala publica.

DCCCCXIX. *Preces* igitur & *lacruma* arma eius fortissima, ad has commonefaciebat  
suos ferio.

DCCCCXX. C. de *Dassel* amplas dederunt elemosynas pro Missâ perpetua.

DCCCCXXI. Ager *Judithæ* dehiscit, quod pauperibus stato die deputatæ elemosynæ  
non datæ sint. Hinc fovea in isto agro.

(\*) al. Eunolpus, Eginolfus.



DCCCCXXII. *Henricus* I. Monasterio omnia vetera jura & privilegia sollempniter confirmat *Quetenlinburgi*.

DCCCCXXIII. In vigilia *S. Viti* duo cervi spontè venerunt ex *Sollingio* in Monasterium, quorum unus captus, alter dimissus est. Hinc *porta cervorum*.

DCCCCXXIV. *Hunni* rursus irruptionem faciunt, vastantes omnem Saxoniam.

DCCCCXXV. DCCCCXXVI. DCCCCXXVII. Tribus igitur annis in reparatione templorum aliarumque rerum occupatus, pietatem, frugalitatem & concordiam FF. & subditis commendavit *Volkmar*.

DCCCCXXVIII. *Com. de Eversten* pias dedit eleemosynas in honorem *S. Viti*.

DCCCCXXIX. Et *C. de Homborch* anniversarium sibi facit cum Coniuge suâ.

DCCCCXXX. Dantur indulgentia (\*\*\*) à Sede Apostolica multi valoris & omnibus gratæ.

DCCCCXXXI. Ab eadem S. Sede accepimus costam *S. Matthæi* Evangelistæ, & partem de *S. Andrea* Apostolo.

DCCCCXXXII. *Volkmar* noster abijt *Coloniam*, & hinc ad *Trevirenses*, bene habitus ab utroque in magno æstimo.

DCCCCXXXIII. *Priscus* noster, mortuo Parente *C. de Peyna*, omne patrimonium suum *S. Vito* obtulit. Idem fecit *Amuluncius* Decanus noster.

DCCCCXXXIV. *Ædicula* ad viam in campo *Lüre* constructa, pro devotione prætereun-  
tium.

DCCCCXXXV. Altare dedit in *Bottezen S. Mar. Magdalenzæ*, quam singulariter amabat *Volkmar*: & aliud *Corbeizæ* fieri fecit *S. Thoma* Apostolo.

DCCCCXXXVI. Damnum à feris *Hunnis* illatum Deus compensat per religiosum *Segfredum* Comitem, qui divino compunctus spiritu, amissis liberis, bona sua in Diocesi *Halversted. S. Vito* contulit. Sic Deum timentibus omnia cedunt in bonum. *Otto* Rex, *Werkæ* omnia privilegia confirmat. *Wimo* noster, Archiepiscop. *Brem. & Hammab.* in *Svecia* obijt.

DCCCCXXXVII. *C. de Peyna* diu per castra vagatus, & fortis miles, pro requie & solatio animæ suæ habitaculum sibi elegit, defuncta uxore, in monasterio nostro. Et licet monachus non sit factus, vixit tamen secundum regulam nostram & Ordinem devote.

DCCCCXXXVIII. Multa bona acquirit Abba noster Monasterio.

DCCCCXXXIX. Episcopus, quem indictum volo, (\*\*\*) pro salutari penitentia delatus in Monasterium nostrum, ob grave aliquod delictum.

DCCCCXL. *C. de Woldenberg* venit vulneratus ad Monasterium, & cupiens ad reliquias *S. Viti* in precibus & jejuniis per noctem cubare, altero die melius habuit, & brevi spatio sanatus est. Gratus autem fuit *S. Martyri*.

DCCCCXLI. Parvum hospitale conditur ad *Wissarah*, cum capella parva *S. Lazari*, in quo ægroti & peregrinantes, etiam pauperes, aliquamdiu sustentati à Monasterio.

DCCCCXLII. *Otto* Rex ad petiitum *Brunonis* Fratris sui, tunc Monachi *Corbeiensis*, Monasterio nostro multa confert. Visitare cupiebat paulò ante obitum Abba *Volkmarus* Ecclesias suas, sed diabolus in forma leporis (\* IV) ei comparuit, & bonum impedit opus. Succesit *Bovo* III.

DCCCCXLIII. *Nejo* Præpositus postulatur ab Abba *Corbeizæ aureæ*, ut Prior istius Monasterii, in quo diu vixerat.

DCCCCXLIV. Avarus quidam Culinarius reliquias mensæ, pauperibus destinatas, semper porcis dedit. Totus verò grex inde scabiosus factus & inutilis. Alius mendico denegat panem, quem dextra tenebat, qui conversus est in saxum.

DCCCCXLV. Multi mansi dati sunt ad patrimonium *S. Viti*.

DCCCCXLVI. *Otto* Rex, ad preces *Brunonis* Fratris, Monasterio dat thelonium, mercatum & monetam in *Meppen*. Idem bannum dedit super duas villas, *Meppen* nominatas, ad *Emisam* & *Hafam*.

DCCCCXLVII. Puer tredecennis de turri lapsus in aream lapideam, surrexit & aufugit sine omni læsione, forsitan ob intercessionem *B. Viti*.

DCCCCXLVIII. Ivit *Bovo* noster cum *Ottone* Rege ejusque immenso exercitu, gestans pileum æstivalem, contra *Capetum*.

DCCCCXLIX. Obijt *Bovo*: substituitur *Gertnus*. Qui accepit ab *Ottone* Rege caput *S. Iustini* Martyris, & addidit corpori in Monasterio nostro cubanti.

DCCCCCL. Domus mercatoria structa pro commoditate & securitate mercatorum, in festo *S. Viti* adventantium.

DCCCCCLI. Mola etiam constructa retro Monasterium nostrum pro usu Fratrum.

DCCCCCLII.

(\*\*) hoc illis temporibus inusitatum.

(\*\*\*) *Ruthardus* Ep. *Argentoratensis*, rebellis imperatori fuerat.

(\* IV) quidam ita superstitiosi sunt, ut si iter facientibus lepore transverso cursu obviam fiat, destinata omittant.



DCCCCLII. *Vivianus* noster fit Lector Sacrae Theologiae in Monasterio *S. Pantibaleonis* Colonix, & *F. Haruh* profectus est cum illo. *Altwinus*, Portarius noster, Praepositus Monasterii (\*) *Asvetensis* Dioecesis. *Hilleneshemensis*, ab *Alfredo* nostro fundati.

DCCCCLIII. Interfuit *Gertnus* consecrationi & dedicationi Ecclesiae *Mindinensis*, quam *Dudo* & *Drogo* peregerunt Episcopi, ille in *Patherbrun*, hic in *Offenbrug*. *Bruno*, Commonachus noster, (\*\*) *Ottonis* Regis frater, fit Archiepiscopus Colonienfis.

DCCCCLIV. Functus seduli Oeconomi & boni Praelati officio Noster in omnibus: auxit *bibliothecam* Monasterii & supellectilem Fratrum: pauperum insignis benefactor.

DCCCCLV. Capellam struxit in honorem *S. Jacobi* Apostoli in area Monasterii post magnam tiliam.

DCCCCLVI. Post multas controversias cum *Ministerialibus* aliquot suis in festo *S. Michaelis* Archangeli fit transactio & concordia.

DCCCCLVII. Invitatus ab Episcopo *Hilleneshemensi*, in *Aulica* locutus est cum eo de variis negotiis, super quibus sententiam & consilium ejus petiit Praesul. Diremit etiam controversiam Fratrum cum Abba suo in Monasterio *Heresburg*, pacis & concordiae amator.

DCCCCLVIII. *Anderedus*, frater ejus carnalis, nunc filius spiritualis, obit XIII Kal. April. bonus canobita, & insignis Musicus ac *Piflor*.

DCCCCLIX. *Otto* Rex, *Rufforum* Reginae ad preces illius, mittit *Adelbertum*, nostrum commonachum, qui postea factus est primus Archi-Episcopus in *Meydeborg*.

DCCCCLX. *Volkmarus* noster postulatus Episcopus in *Patherbrun*. Super qua re valde delectabatur tota gens de *Arnsten*. Fortè ex ista fuit. *Cruces* visae sunt in hominibus, eorumque vestimentis.

DCCCCLXI. Floruit schola in *nova Ecclesia* cum tota Congregatione, certando quasi cum nostra. Sic mater dilexit filiam & filia honorabat Matrem.

DCCCCLXII. *Christoph.* de *Amelunxia* & *Albert.* de *Constein* fiunt Canonici *S. Pauli* in nova Ecclesia.

DCCCCLXIII. Grandis imago crucifixi ad ostium hujus Ecclesiae erecta, sudavit sua sponte per aliquot dies in octava Paschae, multis id cum admiratione spectantibus. Non vero sudavit sanguinem.

DCCCCLXIV. Ipso die *S. Viti* terribile tonitru percussit tectum Ecclesiae nostrae, stringens ipsum marginem libri, quem *S. Vitus* stans ad parietem, manu tenet, sed sine omni laesione illius & templi etiam.

DCCCCLXV. Obit *Bruno*, Archi-Episcopus Colonienfis, olim commonachus noster. Quiescat in pace.

DCCCCLXVI. Obit *Gertnus* Abba. Quiescat in pace! *Wilelmus*, Archi-Episcopus *Moguntinensis*, eà nocte, quâ mortuus, in visione occurrit *Luitholfo* Abbae.

DCCCCLXVII. Florentissima disciplina sub eo & schola in Saxonia prima.

DCCCCLXVIII. Instaurat & exaltat fraternitatem monasticam, eique multos nobiles Viros inscripsit prope & procul, Archi-Episcopos, Episcopos, Praelatos, Comites, Milites & alios, cum magno commodo Monasterii.

DCCCCLXIX. Abiit devotionis causâ *Coloniam*, ex hac verò *Romam* ad Sanctissimum Patrem nostrum.

DCCCCLXX. Commonachus noster, ob reliquias *Crispi* & *Crispini* irreverenter habitas, misere punitur. (\*\*\*)

DCCCCLXXI. Claruit *Wittichindus* noster, praecclarus Historicus, *Matilda* Reginae specialiter carus.

DCCCCLXXII. Cingitur Monasterium altiori & crassiori muro, majoris securitatis & auctoritatis gratiâ.

DCCCCLXXIII. *Otto Imp.* privilegia nostra confirmat. Idem facit Papa, vocans Ecclesiam hanc *fidelem* & *devotam* filiam *Sedis Apostolicae*, soli ei subiectam & nemini subjiendam.

DCCCCLXXIV. Incendium in stabulo ortum, citius autem extinctum, quod *ciconia* in media nocte multum *glotiantes* indicaverant sine dubio.

DCCCCLXXV. *Annosus* & ferocior *gallus ova serpentis*, occisâ prius matre, in pomario exclusisse dicitur. Quod prodigium pro malo omine habitum est, ab aliis tamen contra.

DCCCCLXXVI. Abba alieni Monasterii, ex malitia & invidia Fratrum suorum injustè remotus, ad nos venit, cui *Luitholfus* curam & inspectionem juniorum fratrum commisit, cum bono emolumento.

(\*) *Asvetensis* quod monasterium non fuit dioeceseos propriè, sed juris *Hildesheimensis*, cui fundator attribuit, si *Chronico Ekkehardi* credendum est. Hodie immediate imperio subest, & Abbatissa Principis dignitate fulget.

(\*\*) Hoc non admittendum.

(\*\*\*) Apud *Ditmarum* lib. 4.



DCCCCLXXVII. *Luitolfus* scholas & Ecclesias suas visitat & corrigit: altare novum dat in *Gadelbem*, reparans dilatansque totum templum ibidem.

DCCCCLXXVIII. Pietas, doctrina, discretio & liberalitas *Luitolphi* multa contulit Monasterio. Ipse in magno honore apud Principes & nobiles: qui filios suos certatim mittebant in scholam nostram.

DCCCCLXXIX. *Rugus*, Commonachus noster, in Abbatem electus est in Diocesi Coloniensi. Annus erat fertilis, & larga vindemia.

DCCCCLXXX. Fit concambium inter *Ottonem* Imp. & *Luitolphum* Abbatem nostrum.

DCCCCLXXXI. *Benedictus* Papa *Luitolpho* omnia privilegia sua confirmat.

DCCCCLXXXII. Claruerunt *Alartus* & *Erbartus* Commonachi nostri, Viri multæ scripturæ. *Isibordus* *Amlunxius* illum vocat *Arnulphum de Aviborg*.

DCCCCLXXXIII. *Otto* Imp. *Ponteburg* in Diocesi Bremensi cum multis decimis restituit Monasterio nostro, injuste antea ablatum. Obiit *Volkmar* Episcopus in *Patherbrun*, Commonachus olim noster.

DCCCCLXXXIV. Fit *Othricus*, Commonachus noster, Episcopus in *Meydeborg*. *Bunicho* liberalis erga S. Vitum.

DCCCCLXXXV. Acquirunt nunc Monasterium formam oppidi, & sic quoque dictum est. Nova Ecclesia & schola ibidem in usum ejus. Bona harmonia Clericorum & secularium.

DCCCCLXXXVI. Terret & vexat Fratres nostros *Satanas* sub specie nocturæ horrendum, Tandem à P. *Thiadulpho* capta & occisa est, ipse autem præ amentia fere periit.

DCCCCLXXXVII. *Liutolphus* iterum diversa emit & commutat bona & prædia, mansos, areas, pascua & ligneta.

DCCCCLXXXVIII. Idem in *Sollingo* construxit oratorium in honorem S. *Bartholomæi* Apostoli, quod in Vigilia ejus primus lapis jactus sit.

DCCCCLXXXIX. *Johannes* Papa omnia privilegia nostra confirmat sollempniter.

DCCCXC. Obiit *Liutolphus* Abba. Successit *Thiatmarus*. *Bruno*, Verdensis Episcopus, olim Commonachus noster, fundat Monasterium Virginum in *Ulsen*, Ordinis S. P. N. *Benedicti*.

DCCCXCII. Hic posuit sex columnas æneas in Ecclesia nostra, & novam cathedram pro concionatore.

DCCCXCIII. Dedit candelabrum magnum & rotundum ex cupro, cum brachiis candelas tenentibus.

DCCCXCIV. Funditur campana magna, *Cantabona* dicta, à *Petro Spiibern*.

DCCCXCV. Reparavit altare S. *crucis* in sinistro Ecclesiæ latere, & Ecclesiæ novæ novum dedit in honorem & memoriam S. *Anne*.

DCCCXCVI. Confirmantur omnia privilegia nostra sollempniter.

DCCCXCVII. *Bruno* noster, Episcopus *Verdensis*, fit summus Pontifex, (\* IV) dictus *Gregorius V.* magnus Patronus & benefactor matris suæ, quam *pupillam suam* nominare solebat.

DCCCXCVIII. *Thiatmarus* fratrem suum *C. de Walbke*, (\* V) misit Romam, qui multum ibi procuravit & expedit magnos inter tumultus, propter rebellem *Crescentium*.

DCCCXCIX. *Thiddagus*, commonachus noster, ob felicem praxin medicam in *Bolisla* *Bohemia* Duce ostensam, fit Episcopus in *Praga*. *F. Robertus* commonachus noster claruit.

DCCCXC. Claruit etiam *Meynholtus* in varia literatura. Erat enim Theologus, Philosophus, Musicus, Poëta; bonus scholæ Magister, facundus Declamator, & devotus Monachus. Quam pulcrum hoc septenarium! *Corbeia* combusta est.

M. Claret miraculis *Liutolphus* Abba noster.

MI. Obiit *Thiatmarus* Abba: Successit *Hofat*.

MII. Cui *Henricus Rex* omnia jura & privilegia confirmat.

MIII. *Henricus S.* cum *Kunegunde* sua visitat monasterium nostrum devotionis causa, quod valde placuit utrique; flexis genibus deosculantes reliquias nostras, inprimis S. *Stephani*, S. *Viti* & S. *Iustini* iisque beneficientes.

MIV. Monumentum erexit *Witichindo* nostro Historico *Hofat* Abba, quem *pium* & *dilectum* scholæ Magistrum vocat & *Historicum*, etiam Regi & Regina dilectum. *Henricus S.* monasterium Virginum in *Kamnat* in mundiburgium suscepit.

MV. Salutaria meditatatur *Hofat*, sed iniqua fortuna non semper magno favet labori.

MVI. MVII. MVIII. Bene tamen præfuit in spiritualibus & temporalibus, Vir conscientiosus, Dei gloria & salus Monasterii cura ejus unica.

MIX. *B. Godefretus*, Commonachus noster junior, post mortem miraculis statim inclaruit.

MX.

(\* IV) error.

(\* V) vid. præfat.



MX. Ignis cælo delapsus oppidum *Corbeiam* cum Monasterio exussit totum; ex parte etiam novam Ecclesiam. Ideo præ mærore cum *Rusbaro*, Capellano suo, ad aliud Monasterium secessit *Hofat*: semper verò memor ruinæ hujus, lento morte contabuit Non. Decembr.

MXI. Sedes Abbatialis vacat, & luctum angulus omnis habet.

MXII. Eligitur *Walo*, variæ fortunæ homo: sed non inutilis Abba.

MXIII. Rigor disciplinæ aliquantulum remissior, sed non illius culpâ, cujus consilia & monita bona semper fuerunt.

MXIV. Ad regulam singula dum regulare molitur, odio prævalente abruptere cogitur.

MXV. Injuste postea deponitur à *Meinwerco* Episcopo in *Patherbrun*, quod jura & privilegia sua constanter defenderit. Ille autem apologiam scripsit, eamque Summo Pontifici & Prælati Ordinis nostri misit.

MXVI. Dispersa est tota Congregatio, plurimis ad alia monasteria transeuntibus, paucis hic manentibus, & mutationem hanc deplorantibus. Substituitur à *Henrico II.* Rege *Drutmarus* è *Larshemensis* monasterio, à nemine vocatus vel electus.

MXVII. Pius tamen erat & doctus; ideo ferebant FF., quod mutare non poterant, obstante auctoritate Regis, & Vicini Episcopi gratia apud eum.

MXVIII. Cum *Meinwerco* in *Patherbrun* magnam coluit amicitiam; quod cum inique ferrent murmurantes FF. mutavit mentem & mores, Monasterio suo addictus.

MXIX. Curat spiritualia & temporalia diligenter, Abba & Oeconomus. Nunquam pomposius & splendidius festum S. Viti celebratum est à translatione ejus in *Corbeiam*, quam hoc anno, & largissimæ collectæ sunt eleemosynæ. Ipsi mendici erant liberales. Ecclesiam S. Magni construit in *Horobusen*.

MXX. *Sogfredus*, *Ditmari* Episcopi in *Mersborg* & *Brunonis* *Verdenensis* Episcopi frater, ex Monasterio *Bergen* ad *Albiam* vocatur Episcopus. *Mimigardevordensis*, (\*) scholaris olim noster.

MXXI. A vicinis nobilibus multa offeruntur. S. Vito pro requie æterna. Captus in *Wisarab* in littore apud Monasterium insolitæ magnitudinis piscis, voratus à rusticis.

MXXII. Crocitates corporum in area Monasterii, funus *Gevebarti* Commonachi nostri prænunciant. *Benno* Episcopus olim in *Oldenburg* in *Slavia*, tunc exul. Hospes noster gratissimus.

MXXIII. Abiit *Drutmar*, ad Metropolitanum nostrum, ad *Coloniensem* & *Treverensem*, boni publici gratiâ. Aduit *Barwarto* Episcopo in *Hillenshem*, in Metropoli sua, qui paulò post obiit cum luctu omnium, etiam FF. nostrorum.

MXXIV. Obiit *Walo* noster. Quiescat in pace! Fundatur Monasterium in *Kammat*.

MXXV. *Chounrat* Rex omnia nostra privilegia confirmat sollempniter: & ipse postea *Corbeiam* discessit in *Hillenshem*. Monasterium in *Kammat* in tutelam suscipit.

MXXVI. Mendica in littore *Wisarab* sub saliceto duos simul peperit filios perfecte sanos, aliquot *ranas* & grandem *lacertum*: ipsa etiam valida & sana. Incendium *Corbeienſe*.

MXXVII. Interfuit sollempni consecrationi Ecclesiæ S. Crucis in *Hillenshem*, à B. *Godebarto* fundatæ.

MXXVIII. Villam *Gadelbem*, à *Gerolto* Levita matri suæ datam, sed injuria temporis ablatam, Monasterio reddit operâ *Chounrati* Regis.

MXXIX. In monte *Kothorberg* magnus latuit serpens, qui canem devorasse dicitur & agnos ac vitulos. Pulsus à rusticis solo fumo ex ligno *betulino*, iniectâ flammæ pice futuriâ.

MXXX. *Drutmarus* Fratribus nostris unam plus solito delegavit portionem in festis sollempnioribus, erga pauperes de patrimonio S. Viti liberalis. Studia FF. promovit omni conatu, doctorum Virorum familiaris. Incendium *Corbeienſe*.

MXXXI. Portario mandavit diu noctuque ad portam adeste, inter sacra tamen portam habere clausam. Quod cum molestum videretur F. *Chounrato*, acerbè nimium loquenti; in cella solitaria pane & aqua per mensem cibavit eum pro pœnitentia.

MXXXII. Frater carnalis *Drutmari* *Henricus* anniversarium sibi fecit amplis eleemosynis: idem fecit *Sabina C. de Dassel*, & *Hermannus de Plesse*. Incendium *Corbeienſe*.

MXXXIII. In festo Patroni vendidit ludæus canem venaticum *carulei* coloris magno pretio. Idem alium habuit cum sex pedibus velociter currentem. In Monasterio omnia bene & tranquille.

MXXXIV. In festo S. *Job. Bapt.* ignis fatuus seduxit F. *Sebastianum*, in viciniore villa qui concionatus erat, *Corbeiam* cum crepusculo rediturum. Altero die ex terrore obiit.

MXXXV. Interfuit novæ consecrationi, post incendium, Ecclesiæ Monasterii S. *Michælis* in *Hillenshem*.

MXXXVI. Claruit Commonachus noster *Lothewicus*, *Marchionis* Filius. Obiit *Meinwerco*

MXXII. (\*) vid. præfat.



tercius Non. jun. Eodem die apoplecticus fit *Biso* Ecclesie custos lethaliter & altero die post resperas animam efflavit, bonus Confrater.

MXXXVII. Rusticus ex desperatione in *Sollingo* de quercu se suspendit. At ista nocte nedius crepuit, & effudit viscera sua in terram.

MXXXVIII. Obit *B. Godebartus*, Episcop. in *Hilleneshem*, certus amicus Abbæ nostri, cum uctu omnium, cui requiem cantavimus.

MXXXIX. *Henricus* Rex monasterium *Kamnat* in mundiburgium suscipit. Idem omnia nostra jura & privilegia innovat & approbat: nec non bona & privilegia Monasterii in *Kamnat*.

MXL. Oppidum *Corbeia* iterum combustum est.

MXLI. *Chounrat* & *Georg.* de *Haspörs* pecora nostra abstulerunt; Sed cum magna poena reddiderunt. Mox ille in *Neiba* periit: hic vero totus ebrius & iracundus equo delapsus, & fracto jugulo in momento obiit.

MXLII. *Mathildis* de *Dorringsen*: *Wenzel* de *Hopenbus*: *Tidricus* de *Ellenbosen*: *Günzel* de *Ruschplat*, *Heyno* de *Garmsen* pro multis beneficiis in fraternitatem recepti: in quam ipse *Metro-* *politianus* noster cum Episcopo in *Hilleneshem* & *Halversted* recipi petierunt.

MXLIII. *Drutmarus* monasterium suum *Gruningen* visitans ad *Bodam*, accipit auream crucem ab Episcopo in *Halversted*, in signum specialis amicitie.

Obit *Gerart* de *Wormstorp* Senior, eximius benefactor noster.

MXLIV. *Adolphus* *Heger* per intercessionem *S. Viti* à morbo liberatus, nudis pedibus per lutosam viam ivit ad Monasterium & gratus fuit Ecclesie. Capta est immensa multitudo piscium in *Wifarah*.

MXLV. In oratorio in *Sollingo* lumina viderunt Venatores & suaviter cantantes aliquos audiverunt. Ad clamorem verò eorum vox tacuit, & omnia tenebricosa facta.

MXLVI. Obit *Drutmar* noster XV. Kal. Mart. Electus, presente *Henrico* Rege in *Corbeia*, *Routhartus*, Commonachus noster, Vir doctus. Incendium *Corbeien-* *se*.

MXLVII. Significat *Henricus* Rex infeudatis *Ministerialibus*, oppidanis & toti Congregationi *Corbeien-* *si*, quod *Routharto* electo communi Principum consilio & sententia adjudicatum sit, quod universa officia Ecclesie sue ad nutum suum sint instituenda, exceptis quatuor principalibus, quorum bona, nullius justitie vel astutie interventu ab ipsis officiis poterunt alienari: & quod *Officiatorum filii* seniores & legitimi Patrum officiis succedant pleno jure.

MXLVIII. Ajunt, in *Brunsbere* magnum thesaurum absconditum esse, quem niger canis custodit cum oculis igneis. Hunc se vidisse dicit *Casspar* *Gemser* Venator. An vera dixerit, nescio. Certum autem, quod terribilia spectra visa sint in monte isto hoc ipso anno, diu noctuque viatores terrentia.

MXLIX. In monte *Belenberg* captus est aper, è *Sollingo* forte veniens, qui collare habuit ferreum, in quo annus insculptus erat MCCCXCVIII. cum literis A. C. D. D. Unde colligunt, *Adolphum* Comitem de *Dassel* hoc collare dedisse, qui insignis erat Venator.

ML. Exornat & auget *Routhartus* templum & pretiosa vasa ecclesiastica.

MLI. Interfuit dedicationi basilicæ *B. Virginis* in *Gozlar* presente *Henrico* Rege, *Herman-* *no* *Colonien-* *si*, *Bardone* *Maguntin.* &c. *Gozlari* abiit Noster cum Rege in *Patelbrun*, ubi *Rothe* Episcop. valde eum amavit. III. Id. Decembr. ultro resignat, & factus est Abba *Hers-* *veldensis*.

MLII. *Rotho* Episcopus, Amicus noster obiit VIII Id. Nov. Cantavimus ei requiem. *Arnoltus* *Vasckenbergius* fit Abba noster.

MLIII. Abba *Cassinensis* duos misit Fratres è suo in nostrum Monasterium, famâ loci impulsus. Qui post triennium ad Matrem suam reversi, comites habuerunt e nostris *Arnul-* *phum* & *Bernartum*, probos Monachos, quorum alter postea in Insulam *Cyprum* missus, alter *Cremonæ* obiit.

MLIV. Pauciores FF. habuit *Arnoltus*, ob crebriora incendia, qui tamen choro & scholæ satisfaciebant. Bis in anno ipse examinabat juniores monachos, ut stimulum daret vir doctus.

MLV. *Colicâ* sæpius afflictus, solis baccis *juniperi* comestis, vicit dolores. Tempora apparent benigniora.

MLVI. Vocatur à Rege in *Patelbrun* ad concelebrandum sanctum Pascha cum eo, qui eodem anno III. Non. Octobr. in *Butensfeld* obiit.

MLVII. Revocatus ad monasterium suum *Laurisham*, ut Abba: Episcop. tandem *Spiræ*.

MLVIII. *Saracho* electus Abba noster, Vir laboriosus & Commonachus noster.

MLIX. Instaurat collapsa & combusta ædificia totius Monasterii: bonus architectus.

MLX. Auger & ornat bibliothecam nostram multis libris *Albertus* de *Homborch*.

MLXI. Denuo consecratur capella *S. Martini*.

MLXII. Postulatur è Monasterio nostro Commonachus in Abbam,



- MLXIII. *Henricus* Puer Rex totum monasterium, cum omnibus rebus suis, donat *Adelberto*, Hammaburgensi Archiepiscopo, speciosâ bullâ, quæ verò data est biennio post.
- MLXIV. Hinc magni tumultus inter FF. & multæ sollicitationes apud Regem, omnia tamen frustra. Interim dispergitur Congregatio: inde magna confusio.
- MLXV. Nunc ipso actu traditur Corbeia *Adelberto* quasi bene merito. O Deus, quousque taces? surge, & confunde inimicos nostros.
- MLXVI. Ita: Factum est, ut rogavimus. Sit nomen Domini benedictum in secula!
- MLXVII. *Saracho* autem ex ægritudine & adversitatibus, quas pertulit, infirmatur; Dominus tamen adjutor eius. Damnat *Adelberti* facinus omnis populus, damnat omnis Clerus, damnabit fera posteritas!
- MLXVIII. Interfuit noster consecrationi novæ Ecclesiæ in Patherbrun, quam *Immadus*, ordinarius loci, cum *Segredo* Maguntin. peregit.
- MLXIX. Inundatio magna cum damno notabili. Inde enim pestis bestiarum, ovium scilicet, porcorum, vaccarum equorum.
- MLXX. *Adolphus* & *Janus C. de Dassel*, & Anno Archi-Episcop. Colon. miseræ nostræ condolentes, multas dederunt elemosynas: nec non cognati *Sarachonis Rostorpii* & *C. de Northem*.
- MLXXI. *Corbeia* rursus magnum incendium passa. Ideo *Huxori* sensim in civitatem exaltatur.
- MLXXII. *Routhart*. *Herveldens*. Commonachus olim noster, ob morbum III. Id. Decembr. resignat, cum officium suum facere non posset propter infirmitatem.
- MLXXIII. Indixerunt Maguntin. & Colon. solempne colloquium *Corbeia*. Obiit *Saracho* noster. Quiescat in pace.
- MLXXIV. Obiit *Routhart*. Abb. *Hersveld*. V. Id. Jun. phreneticus & epilepticus.
- MLXXV. Crescit *Huxori* civitas numero & opibus civium, ædificiis, & cuncta procedunt feliciter, prout ante me consignavit *P. Petrus* confrater noster.
- MLXXVI. Ecce, quam pulcre & subito concordia parvæ res crescunt. Dominus & fervus timeant Dominum, & Dominus benedicet omnibus.
- MLXXVII. Infans flet in utero matris, & sudat sanguinem. Multæ controversiæ *Wernbero* cum Episcopo in *Ossenbrug* ob decimas. Uterque vocatur ad Synodum.
- MLXXVIII. *Wernberus* noster construit Ecclesiam S. Michaëlis Archangeli in monte sancto.
- MLXXIX. Obiit *Wernberus* Abba noster. Quiescat in pace!
- MLXXX. Electus Abba in pœnam & ruinam Monasterii *Frethricus*, homo nullius devotionis, lurco & vanitatum coryphæus.
- MLXXXI. *Albert*. de *Padberg* Ecclesiæ in *Heresburg* valde infensus, bona ejus diripuit: punitus autem à Deo terribiliter. *Erckhinbert*. noster fit Abba in *Heresburg*.
- MLXXXII. Claruit *Ysbort*. de *Amelunx*, doctus commonachus noster, vix Monasterium ingressus. *Frethricus* inutilis depositus & ejectus.
- MLXXXIII. Successit *Marchwart*. bonus Pater & doctus, doctorumque amator. *Hermannus* Rex omnia jura & privilegia nostra confirmat sollempniter.
- MLXXXIV. Restorescit schola & Ecclesia nostra: amplus conventus sub eo. Fundat fraternitatem S. Viti sub certis legibus.
- MLXXXV. Frugaliter nimis vixit Abba hic, precibus, studiis & curæ Monasterii semper intentus.
- MLXXXVI. Erat Ecclesiæ novæ specialis amator & benefactor, quam ut animam suam dilexit. Ossa *Lieutholphi* & *Dietmari* Abb. nostrorum, elevavit & ante aram S. crucis posuit cum summa reverentia.
- MLXXXVII. *Gumpertus*, noster Prior, fit Abba: & *Marchwartus* noster, Episcopus in *Ossenbrug*. Sede igitur vacante, Prior & Præpositus curam habuere Monasterii.
- MLXXXVIII. Ministeriales de *Amelunx*, Ecclesiæ nostræ inimici, multa faciunt damna. Reconciliati cum ea offerunt S. Vito cistam argenteam, & recipiuntur in signum gratiæ, in fraternitatem nostram.
- MLXXXIX. *C. de Waldeck* etiam monasterium in silvis, venationibus & piscationibus suis maxime turbavit. Agnovit autem errorem suum, & per *Pincernam* nostrum promisit satisfactionem.
- MXC. *Henricus* Decanus noster fit Abba in *Heresburg*, & spectabilem habuit Conventum. Captus in *Dimola lucius* cum figura coronæ in latere: & tructa cum duplici cauda. Uterque piscis pro raritate missus est *Marchwarto* nostro.
- MXCI. Integer S. *Vitus* adhuc jacuit *Corbeia*.
- MXCII. *Waramuntus* noster fit Abba. *Marchwart* autem noster resignat in *Ossenbrug*, rediens ad matrem suam, faventior Papæ quam Regi. Hinc odium erga eum. Præfuit iterum monasterio nostro fideliter & sollicitè.



MXCIII. *Thiatmarus*, noster Commonachus, fit Abba. *Marchwartus*, demuo noster, approbat foundationem Monasterii in *Bursefeld*, quod est filia nostri; ut Abba *Corb*.

MXCIV. *Herm.* de *Sichelften* tres boves faginosos misit Conventui pro reconvalescentia filii sui, precibus FF. nostrorum impetrata: & *Ioan.* de *Mantrop* librum (in folio) arabicum à *Pannonia* allatum intulit bibliothecæ.

MXCV. *F. Bezelinus*, custos bibliothecæ, intrans eam circa meridiem IX. Kal. Octobr. videt virum ad mensam sedentem in habitu nostro, & volentem psalmos Davidis. Horret: ast ille retrospectus, bono eum animo esse iussit. Similis in omnibus erat *Ansgario* nostro, ut in Conventu depictus videtur.

MXCVI. Spectra in culina & pomario nocturna frequenter: precibus autem depulsa.

MXCVII. Legem fecit *Marchwartus*, ut quivis novitius in die professionis suæ etiam librum donaret Bibliothecæ utilem & alicujus pretii. Voluit etiam, ut quilibet Præpositus vel alius Historiarum peritus, Monasterii sui, Nostro subiecti, *chronicon* colligat eique mittat, ad futuram rei & posteritatis memoriam.

MXCVIII. Fit *arthritis* & dextro pede claudus, vigilans tamen in omnibus.

MXCIX. *Venti* frugibus & filvis magna fecere damna: messis tamen apud nos larga.

MC. *Dietmarus* noster una cum *Luitolpho*, Abba nostro, miraculis claret: *Wyntolfus* noster fit Abba in *Bigau*. Sumit secum *Hilinum* & alios.

MCI. *Luitolph.* *Rufshepl.* *Henric.* *Platzen*, *Bodo* de *Campen* *Werner* de *Berckvelt*, *Lippolt* de *Welderse*, *Bruno* *Hagen*, & *Othelricus* de *Selsen* benefactores nostri, recepti in fraternitatem S. Viti.

MCII. *Marchwart*, noster tempore schismatis a *Güntero*, *Herveldenfi* Abb. expellitur in exilium.

MCIII. Idem *Günter* inimicus noster, & *Erpo*, qui *Holtesium* nobis restituere volebat, miserè pereunt. *Marchwart* integrè restitutus Monasterio nostro.

MCIV. Schola Monasterii ruit in perniciem omnium.

MCV. Interfuit Noster Synodo in *Northusen* IV. Kal. Jun. præfidente *Routharto* *Mauguntin*.

MCVI. Obit *Marchwartus* noster. Quiescat in pace!

MCVII. *Henricus* Rex Monasterio reddit decimas ab *Hezilone* ablatas, tunc *Corbeiz* ipse præfens. Successit *Erckbinbertus*, bonus Pater. Claruit *Erhart*, Commonachus noster valde doctus.

MCVIII. Instaurat fraternitatem S. Viti à *Marchwarto* cœptam, sed à *Güntero* *Herveldenfi* turbatam.

MCIX. Schola Monasterii non valet. Præpositus Monasterii, hujus mali autor & promotor, punitur à Deo.

MCX. *Hilinus* noster fit Abba in *Oltensleben*: & *Lindigerus* noster, Abba designatur in *Reinsdorp* ad *Unstrut*.

MCXI. *Erckbinbertus* multa acquirit monasterio: inscripsit ei chron. suum *Eggebartus* Abba. Dedit ei Rex magnam crucem argenteam.

MCXII. Lilius nuncius mortis FF. nostrorum.

MCXIII. *Erpo* tyrannus & *C. de Padberg* pudenda committit in *Horobusen*; Dei tamen gratiâ egit pœnitentiam.

MCXIV. *Magnus* de *Westbem* largus benefactor Monasterii nostri, cui promissimus requiem perpetuam. *Catharina* *Stormarin* in sepulcro suo revivixit. *Dionysius* de *Thulem* ex *Hierosolyma* rediit.

MCXV. Captus in gverra Saxonica *Erckbinbertus* à *Borcharto* & malè tractatus est. Dimissus dedit CC. marc. argenti. *Heydenricus* in signe suum (\*) Abbæ dedit de argento, ex quo, capite detracto, commode bibebat.

MCXVI. Tres *C. de Insula*, *Günter*, *Otto*, *Stephanus*, duo de *Pyrmont* cum uxoribus: *Chounrat* de *Everstein* & eius Mater: *Sim.* *C. de Spiegelberg*, *Liutolph.* de *Winzingeborch* cum uxoribus: & *Fretbericus* *C. de Arensberg* in fraternitatem S. Viti recepti; quem honorem Principes & Nobiles certando quasi exorabant.

MCXVII. *Othelricus* *C. de Arnstein* filium misit in scholam nostram. Qui cum adolefceret, in ordinem nostrum receptus, gratus fuit Abbæ nostro.

MCXVIII. *Otto* de *Asloh* liberalis erga S. Vitum. *Herbort* de *Holte* litem fecit Abbæ nostro. Mortuus autem repente, falsus ante obitum, se injustè fecisse.

MCXIX. *Anna* *Poslerin* occidit maritum suum, & postea cum parvulo suo se præcipitat in *Wifarah*. Multa passim hoc anno homicidia.

MCXX. Fundatur monasterium *Amelungsborn* Ord. Cisterc. a *Segredo* de *Homborch*, religiosum seminarium Bonorum doctorumque Virorum.

MCXXI. *Regina* *Glasburgin* dedit capellæ in horto altare S. *Susanna*.

MCXXII.

(\*) vestigia insignium, vide præfat.



- MCXXII. *Cbounrat* commonachus noster, fit Abba in monasterio *S. Michaelis* in *Hilteneshem*.
- MCXXIII. *Petrus Banter*, dives & doctus Officialis. *C. de Pymont*, fit cucullatus apud nos.
- MCXXIV. *Laitolph*, Commonachus noster, auctor & suafor Monasterii in *Ballensted*.
- MCXXV. Auxit *bibliothecam* monasticam de suis bonis Abba noster: & eleemosynas ad portam pro pauperibus.
- MCXXVI. *Erckbinbertus* castrum in *Ittern* cum thelonio & omnibus pertinentiis ibidem, & in *Ense*, *Linterbec*, *Dalewich* & *Ittergow* Monasterio confert.
- MCXXVII. Abit *Hierosolymam* propter motus in Saxonia publicos. Facit antè concambium cum *Episcopo* in *Mersborg*.
- MCXXVIII. Fundatur monasterium Ord. nostri *Mariemünster* à *Wedecbindo*, *C. de Swalenberg*. Obit *Erckbinbertus*. Quiescat in pace!
- MCXXIX. Successit *Volkmar* nobilis Dominus de *Bomeneborg*, qui pro obtinenda confirmatione *Hadrianum* de *Vastenbec* Romam misit, & cuncta expedivit bene. Cum Abba in *Amlungsborn* sinceram coluit amicitiam, Vir omni populo acceptus.
- MCXXX. *Vollrat*, de *Kerebborg* consiliarius ejus optimus, quem in magnis negotiis consultabat. Missus ad *Cæsarem* multa procuravit monasterio. Dedimus ei requiem perpetuam. *Oswalt de Spegel*, nunc viduus & sine liberis, factus confrater noster, religiosus homo.
- MCXXXI. *Lupus* in pomario captus, qui ex *Sollingo* veniens pernataverat *Wifarah*. *Volkmar* noster *Ecclesie* Scholæque magnam gerit curam, doctus & pius Pater.
- MCXXXII. *Ioann* de *Rekelinghusen* aliquot mansos *S. Vito* obtulit: terribilis tempesta in festo *S. Margaretha*, tonitru, grandine, & fulgure horrendum commissa. Lues pecorum.
- MCXXXIII. *Henricus* *Bojoaria* Dux, tenuerat hætenus cum *Elika* Marchionissa & filio suo *Adelberto* (\*\*\*) piscationem in *Wifarah*, quam *Lotharius* *Augustus* *Corbeia* restituit integram.
- MCXXXIV. Edificia monastica ubique instaurantur: Tres simul *Episcopi* hospites nostri: *Mindinensis*, in *Patherbrun* & *Hillenshem*, qui in suis negotiis hic sibi indixerunt colloquium.
- MCXXXV. Funambulo magno & repentino turbine inter lusus suos in terram dejectus, & auditus cachinnus in aëre, *Volkmar* noster cum *Metropolitano* suo abit *Würzeborg* & *Papenberg*.
- MCXXXVI. *Lotharius* *Augustus* moratur in monasterio nostro, & fundationem monasterii *Mariemünster* (quod filia nostri est) sollempniter confirmat.
- MCXXXVII. Fit concambium inter *Volkmarum* nostrum & Abbam in *Flicthorp*.
- MCXXXVIII. Obit *Volkmarus* Abba noster. Quiescat in pace! Successit *Albero*, Ducis *Henrici* frater.
- MCXXXIX. Multi sunt sumtus pro pomposa confirmatione, & magnus apparatus pro hospitibus. *Horicus* Commonachus noster vocatur ab *Episcopo* *Genevensi* ut capellanus. Opilio intoxicavit *pasua* in silvis & campis. Inde magna lues pecoris.
- MCXL. Venatori nostro obviam fit *ursus* in *Sollingo*, è castro qui aufugerat, ore tenens nudum & stentem infantem. Solus autem non potuit occidere eum.
- MCXLI. *Everhartus* *Cellerarius* noster in communi aliquo pomo dissecto vidit pulcram imaginem *Crucifixi*. Anseres silvestres, in transitu suo partim in tecto *Ecclesie* confidentes & inter se preliantes, unum confossum dejecerunt.
- MCXLII. *Diatmarus*, *Verdenensis* *Episcopus*, monasterium in *Ulsen*, à *Brunone*, *Com* monacho olim nostro, fundatum pro puellis, in claustrum *Monachorum* Ordinis nostri convertit. Primus Abba erat *Segfredus*. Missi sunt cum eo è monasterio nostro *Henricus*, *Hillobolt*, *Segfred* & alii.
- MCXLIII. Claruit *Rotgerus* noster, doctus *Monachus*.
- MCXLIV. Obit *Albero*, Abba noster. Quiescat in pace! Successit *Henricus*.
- MCXLV. *Henricus* *Comes* *Henrico* nostro multas facit injurias. Quare *Heresburg* exustum est. *Cbounrat* *Rex* *Corbeia* præsens, iterum jus piscationis reddidit & confirmavit in sollempni curia.
- MCXLVI. Petierat *Abbatissa* in *Essende* ab *Alberone* nostro predicatorem ex conventu. Mittere voluit *Haynonem* de *Ibern*, sed ivit ille ad terram sanctam. Misit ergo *Henricus* noster *Borchartum*, utilem Virum. *Abbatissa* in gratitudinem remisit ornamentum argenteum, recepta in fraternitatem. Obit *Henricus*, Abba noster: successit *Henricus* alter, mox autem depositus. Miser status monasterii. Varia miracula *Corbeia* facta.

(\*\*) *Henricus* Dux, natus erat ex sorore *Eilicæ* *VVulfhilda* Magni *Saxonie* Ducis filia. Itaque piscationem in commune tenuerant.



MCXLVII. Succesit *Wicpoltus* bonis omnibus, *Abba in Stabulon*, a Deo datus; *C. de Northem*, volente ita *Chounarato* Rege. Rex per aureum donationis annulum eum cum successoribus suis facit perpetuum *Advocatum lipfanorum S. Viti*. Incorporat Rex monasterio nostro aliud Virginum in *Kamnat*. *Henricus D. Saxon*. *Advocati*am de monasterio *Kamnat* in manus *Chounarati* Regis resignat sponte, ut eandem advocati<sup>am</sup> monasterio in perpetuam possessionem contraderet. Omnia jura & privilegia nostra confirmantur. Fuit *Wicpold* in expeditione contra Slavos.

MCXLVIII. Reformat scholas, templa & omnia in spiritualibus & temporalibus, exemplum boni Prælati.

MCXLIX. Sic vetus *Corbeia* sibi reddita, cum salute & jubilo Saxoniz.

MCL. Monasterium intrat *Alex. C. de Insula*, qui postea claruit. *Dapifer & Pincerna* multas faciunt molestias, sed auctoritate Regiæ remoti, & jus suum Abbæ nostro conservantur. Dat *Chounrat* Rex jus fodiendi metalla in *Heresburg*. Seniores & Præpositos suos hortatur ad conscribendos annales Monasteriorum suorum, ut ante eum fecit *Marchwartus*.

MCLI. Mons *S. Michaelis FF.* ad refectionem deputatus a *Wicpolto* nostro. Reparatur, auget, reformat & ornat sacra & profana egregius *Abba*. Hospes noster *Henricus Felix Maguntin*.

MCLII. *Fretberic*. August. venit *Corbeiam* invitatus à *Wicpolto* suo, datis & confirmatis multis privilegiis. Claruit *Marchwartus* noster, doctus *Commonachus*.

MCLIII. *Adrianns IV.* Papa tradit *Wicpolto* monasterium *Werben*, miserè corruptum & desolatum, jure perenni. Multa alia bona acquirit monasterio nostro.

MCLIV. Missus *Wicpolt* ad *Adrianum* Papam Romam, reportat multa & egregia privilegia, prudens, diligens & circumspèctus.

MCLV. Omnia bene composita in Monasterio, Deo benedicente.

MCLVI. Missus in *Graciam* *Wicpoltus* Legatus à *Fretberico Aug.*

MCLVII. Iterum in *Graciam* missus *Wicpoltus*, postquam domi omnia bene ordinata reliquisset; Vir ad salutem nostram natus. Post difficilem morbum & ferè desperatum vix evasit.

MCLVIII. In villa nostra *Herbram* rusticus phreneticus duos bufones affatos & bene butyratos, ut delicatum quid, voravit sine noxa.

MCLIX. Alius de *Ickenrot* solo lacte pro potu & cibo sæpius sumto, vitam perduxit ad annos CXXXI.

MCLX. MCLXI. Tranquilla apud nos tempora, concordiz & religionis plena, Deo in & extra monasterium omnia fortunante.

MCLXII. Visitatione monasterium *Herivortense*, provisioni Abbæ nostri commissum disciplinâ rigidâ, & immenso reliquiarum Sanctarum thesauro clarum, & nobilium Virginum Regale domicilium, sub *Jutta* Abbatisa.

MCLXIII. *Abba in Amelungsborn*, doctus Vir, magnam habet amicitiam & familiaritatem cum nostro. *Cuno de Siebelsen*, *Vollrat* de *Hallermunt* & *Popo de Henneberg*, insignes benefactores nostri. Dederunt enim singuli multum.

MCLXIV. Reperta est apud novam Ecclesiam defossa cistula ferrea cum minutis reliquiis Sanctorum, quorum vero nomina nescimus: aliæ nobis mittuntur è monasterio *Stabulon*.

MCLXV. *Abba FF.* pro refectione & collatione anniversaria in festo Patroni sui *S. Mauricii* certum quid legat, ut eo promtiores redderet ad preces & sacrificia.

MCLXVI. Reparatur dormitorium cum cellis *FF.* pro meliori commoditate. *Henricus de Everstein* sepulcrum & requiem sibi parat apud nos.

MCLXVII. Duo Episcopi & varii Prælati privatum colloquium habuere *Corbeiz*, res ecclesiasticas concernens.

MCLXVIII. Discordia cum *C. de Everstein & Homborch* ob Venationes, per *Abb. in Amelungsborn & Mariemünster* componitur *Corbeiz*.

MCLXIX. *Philippus* Colonienfis cum exercitu suo multa damna fecit monasterio & illius hominibus. In recompensam dedit thelonium liberum in Rheno anno sequenti.

MCLXX. Ministeriales de *Stockhusen* arbitrum litium suarum eligunt *Abb. nostrum*. In vicinia multi grassantur fures. *C. de Popenborg* tres dat manfos ad refectionem *FF.* in festo *S. Viti*.

MCLXXI. *Henric. C. de Aslob*, in honorem XII. Apostolorum, tot *S. Vito* obtulit pocula de argento cum effigie cuiuscunque Apostoli, & *Othebricus de Spalenberg* argenteum anserem in festo *S. Martini* pro fraternitate: *Adolph. de Lippia C.*, *Borchart de Querivort*, *Benrada de Hohnstein*, & *Agnesa de Pless* etiam multum dederunt pro eadem.

MCLXXII. *Apollonius de Warberg*, *Commonachus* noster, Romam abit pro salutari penitentia.

MCLXXIII. *Albert. C. de Wernigrode* in festo *S. Stephani* promisit unam carram vini. Larga apud nos messis in campis & silvis.

MCLXXIV.



MCLXXIV. In vigilia S. Martini pleuriticus obit *Wicpolt* noster, Pater sine pari. Quiescat in pace! Successit *Chounratus*.

MCLXXV. Zelofus vir, secundum privilegia sua & consuetudinem *Wicpolti* verbum Dei prædicat publicè. Incorporat Ecclesiam S. Magni in *Horobusen* Monasterio S. Petri in *Herzburg*.

MCLXXVI. Ministeriales de *Amlunx*. cum vicinis aliquot vastant territorium Monasterii. Cœpit igitur *Chounrat* contra eos castrum *Wilborg* construere, ut frenaret rapaces homines.

MCLXXVII. *Corvus* in festo S. Viti annulum aureum, à *Chounrato* Rege *Wicpolo* datum, furtim aufert; ideo *excommunicatus* tabescit, annulo vero invento, reconvalescit subito.

MCLXXVIII. Tepefcere aliquantulum cœpit disciplina, mox tamen correctâ à *Chounrato*.

MCLXXIX. *Henric*. C. de *Woldenberg* pro receptione in ordinem multum attulit.

MCLXXX. *Fretberic* de *Scarsfeld*, Scholæ Magister, mox vocatur in Abbam.

MCLXXXI. Sustinuit *Chounratus* gravem morbum, reconvaluit tamen.

MCLXXXII. Magnum incrementum scholæ & Ecclesiæ. Chorus dilatatur noster in crypta novum altare ad dextram in honorem S. *Catharina*.

MCLXXXIII. *Lucius* Papa omnia privilegia nostra confirmat sollempniter.

MCLXXXIV. Capella S. *Viti* fundatur. *Obmutescit* *F. Zacharias* commonachus noster inter cantandum in momento: restitutus tamen. Fœminis non datur accessus ad basilicam nostram.

MCLXXXV. *Segfred*. Episcop. in *Patherbrun*, FF. nostris donationes quasdam Antecessorum suorum confirmat. Et *Chounratus* noster dedit ei prædium in *Offendorp*. Obiit *Chounratus* Abba noster.

MCLXXXVI. *Siz* de *Dorig* specialis benefactor Monasterii. Successit *Wedechindus*.

MCLXXXVII. *Volquinus* de *Horstemar* pro receptione in fraternitatem villulam dedit, invitis FF. suis, qui magis amabant temporalia.

MCLXXXVIII. *Walter* de *Dœrsted* & *Pbllipp* de *Hœsted* pretiosa dederunt ornamenta Ecclesiæ *Jacob* de *Ludinbusen* & *Mart.* de *Lymbeck* magnam campanam suis sumptibus.

MCLXXXIX. Nobilis quidam in monasterium nostrum pro penitentia missus est.

MCXC. *Henricus* August. immunes facit FF. nostros à thelonio *Werthensi*.

MCXCI. *Wedechindus* noster in castris militi similior quam prælato. Instaurare vult *Brunsburgum*: impeditur verò a Ministerialibus suis de *Amlunx*. Adiutor eorum C. de *Waldek*.

MCXCII. Parum curat monastica seu Ecclesiastica. Committit ea omnia Priori *Heremanno* de *Palsverkam*, qui vero nimis contractum habuit Conventum.

MCXCIII. *Gerart*. de *Stiemvet* poculum lethiferum accepisse dicitur in *Polle*, mortuus apud nos, cum tenderet *Beverungen*. Iacet in sacello S. *Viti*.

MCXCIV. Abiit *Wedechind.* noster in Corb. auream. Reversus interest conventui ab *Adolpho* Colon. in *Patherbrun* indicto. Claret monasterium in *Schaken* Ord. nostri & Virginum.

MCXCV. *Wedechind.* novellam apud *Godeloveffen* locans familiam, duo talenta in eadem villa ad cameram FF. Corb. pertinentia, & ad indumenta Abb. deputata, prædicto cœnobio confert.

MCXCVI. *Otto* de *Soist* omnia sua S. Vito legat, pro memoria anniversaria. *Ericus* de *Bruchusen* architectus anno fere sexagesimo ætatis cucillum accepit à nobis, dans monasterio domum cum hortis, agris & omnibus, pro remedio animæ suæ.

MCXCVII. Magna locustarum copia, inundationes ex nivibus & pluviis: furta vicinorum, & sterilitas valde nos premunt.

MCXCVIII. Ecclesia nostra cum *Coloniensi* fœdus facit mutue defensionis. *Otto* Rex *Sollingum* in feudum confert monasterio.

MCXCIX. *Adolph.* de *Sternberg*: *Helmwart* de *Artzen*: *Hereman* de *Batensten*, & *Segfred.* de *Bomeneborg* benefactores nostri speciales.

MCC. Erat *psittacus* raræ sagacitatis in Monasterio. Metropolitanus noster curiam Principibus indicit inter *Andernac* & *Confluent*. cui interfuit *Wedechindus* noster.

MCCI. In curia sollempni Corbeie *Otto* Rex electus, Philippo rejecto. Ideo multæ & magnæ ejus elemosynæ.

MCCII. Incendium in *Albaxen* & *Luchtringen* à fulgure & tonitru. Mulier rabiosa in *Sollingo* pererrans, viatoribus nimium molesta.

MCCIII. *Wedechindus* noster in *Patherbrun* divisioni paternæ hæreditatis inter *Otonem* Regem & fratres ejus adfuit. Sicca ætas. *Hugolt* commonachus noster electus in Abbam S. *Michaelis* in *Hillenesbem*. Fit concordia inter *Bernartum* in *Patherbrun* & Abb. nostrum super castro *Defenberg*.



- MCCIV. Dubia *Wedechindi* nostri valetudo; *lydrops* tandem prævaluit.
- MCCV. Ægre fert *Innocent.* Papa, quod ad *Philippum* tranfierit *Wedechindus*. Eod. anno obit in monasterio suo: successit *Ditmarus*, antea *Abba Helmwarteshufanus*, indignante Papa, quod susceperat Abbatiam nostram sine ejus consensu & præscitu.
- MCCVI. Omnes, quas potuit sacris occupationibus & rei œconomicæ subtrahere horas, impendit *historiis* & rebus in patria gestis; cooperante P. *Mauro* nostro, docto Monacho.
- MCCVII. *Stockbusis* cognatis suis multa dedisse fertur, erga omnes bonus.
- MCCVIII. Obit *Ditmarus* Abba. Successit *Hugoltus*.
- MCCIX. Ministeriales de *Luthorst* jus Patronatus in Ecclesia *Luthorst* tradunt *Hugolto* nostro, magno commoti miraculo cum effigie S. *Magni*.
- MCCX. Vocatus ab *Ottone* Augusto *Brunswichum* una cum aliis. Interfuit etiam colloquio in *Würzeborg*.
- MCCXI. Fit transactio inter Ecclesiam *Corbeisensem* & *Aquensem* ob decimas in *Li-ziaci*.
- MCCXII. Opidum *Lügden* ad *Ambram* repudiat, per incuriam *Henrici* Cellerarii sui.
- MCCXIII. In ipso festo *trium Regum* inter matutina canus *lupus* intrat Ecclesiam sine nocumento omnium. Exiens tantum necuit *anserem*.
- MCCXIV. *Claret* apud nos P. *Florianus*, doctus Commonachus, qui *Commentarios* reliquit *super Psalmos Davidis* & *librum Jos.* adhuc in *Bibliotheca* jacentes.
- MCCXV. Donavit nobis *Balsbas*. *Rummer S. Ansgarii* manuale, in quo sancti ejus labores in Septentrione juxta annos & dies studiose notati sunt breviter. *Tymo* postea id *Romam* misisse dicitur.
- MCCXVI. *Abbatissa Herivortiensis* misit insignes reliquias de S. *Mauritio* ejusque focis; duos lapides, quibus S. *Stephanus* occisus est, de ossibus S. *Peiri*, de costis S. *Bartholomai* & S. *Martie*, & aliquid de S. *Aurelio*.
- MCCXVII. Nebulo autem omnium nebulonum duo stercora asini, à diuturnitate temporis in lapides, ut ajunt, conversa, quo Christus vectus est *Hierosolymam*, in itinere isto ab eo rejecta, obtulit *Bêche*, *Priorissæ* in *Fretelschem*, ut ipse ibi audivi.
- MCCXVIII. Hospitale ad S. *Spiritum* *Höxari* fundatur à *Chounrato* de *Boffezen*, (\*) cum capella, cœmiterio & capellano, pro infirmis & pauperibus.
- MCCXIX. Obit *Meinbartus* de *Luchtringen*, doctus Commonachus.
- MCCXX. Obit *Hugolt*, noster Abba, circa finem anni.
- MCCXXI. Obit *Hugolt* Commonachus noster, Abba S. *Michaelis* in *Hilleneschem*. Succedit in Monasterio nostro *Hereman C.* de *Dassel*.
- MCCXXII. S. *Franciscus* capitulum habet cum F. F. suis in *Hilleneschem*, ubi tunc præfens fuit. Profectus ad eum Abba noster. Fit transactio cum C. de *Luttersberg* super castro *Bramborch*.
- MCCXXIII. *Sophia* *Abbatissa* in *Hersfen* tradit Ecclesiæ in *Patherbrun* opidum *Braki* & castrum *Hynneborg*. *Honorius III.* Monasterium *Schaken* in defensionem suscipit.
- MCCXXIV. Divertit in transitu *Heremannus* noster *Gandesbemi* ad *Abbatissam*, quæ aureum donarium cum notabili portiuncula de reliquiis S. *Praxedis* ei dedit.
- MCCXXV. *Stephanus Pürgel*, civis multarum facultatum, benefactor noster & confrater S. *Viti* obit.
- MCCXXVI. *Chounrat* de *Luchtringen* duos mansos confert capellæ S. *Martini*, & duo luminaria ad altare ejus, singulis annis in festo ejus.
- MCCXXVII. Vocatur *Heremann* noster ad *Metropolitanum*, qui consilia ejus expetiit, in arduis & dubiis rebus. Erat enim Abba noster prudens & experiens.
- MCCXXVIII. Visitat Ecclesias & scholas inspectioni suæ commissas. Erat simul valde doctus, etiam in *Græca* lingua.
- MCCXXIX. Renovatur totum monasterium cum templo, capellis, dormitorio & refectorio.
- MCCXXX. Traditur *Henrico* *Coloniensi* dimidium opidi *Heresburg*.
- MCCXXXI. Ad capellam S. *Anna* quinque dantur mansi, duo in *Holtmind* à C. de *Euerestein*, & tres à *Maria* C. de *Dassel* prope *Hüntsrük*.
- MCCXXXII. C. de *Spegelberg* & *Hallermunt* C. aureos dant *bibliotheca* pro libris emendis necessariis.
- MCCXXXIII. Culpam suam deprecatur *Johann.* C. de *Sponhem*, offensor Ecclesiæ nostræ.
- MCCXXXIV. Transferuntur F. F. *Kalendarii* ex *Otbergen*. Succedunt sorores Ord. Cist. (\*\*)

MCCXXXV.

(\*) forte Bottezen.

(\*\*) vid. Chron. Ottersbergense Paulini.



- MCCXXXV. *Heremannus* noster cum *Frederico* Augusto est in curia sollempni *Spira*. Ecclesia in *Honfched* incorporatur Ecclesie in *Arolsen*.
- MCCXXXVI. Migrant sorores ex *Otbergen* ad *S. Egidium* in *Brüggenfeld*.
- MCCXXXVII. Officium Sculteti confertur Ecclesie in *Arolsen*.
- MCCXXXVIII. *Jordanus* de *Patberg*, primus post *S. Dominicum* Ordin. Prædicatorum Magister Generalis conscripsit commentarium super *Apocalypsin*, quem *Engelhart*, Confrater noster, pulchrè descriptum *Bibliotheca* nostræ dedit.
- MCCXXXIX. Multi Abbates Ord. nostri conventum suum habent in Monasterio.
- MCCXL. *Mathilda* de *Brobach*, *Tideric* de *Hagen*: *Hilmar* de *Mönichbus*: & *Beka* de *Gade-wisch* benefactores nostri. *Günzel* de *Heger* omnia sua dedit *S. Vito* & *S. Laurentio* in *Dassele*. Annus apud nos fertilis, & omni benedictione divina repletus.
- MCCXLI. Dedit nobis Abba *S. Michaelis*, *Rüggeri* Commonachi nostri lectiones sacras in *Proverbia* Salomonis. Vixit sub *Drutmario* in monasterio.
- MCCXLII. *Hermann* noster *Holtbusum* monasterio in *Wolfsingbus* vendit.
- MCCXLIII. Confirmantur omnia privilegia nostra ab *Innocentio IV.* Papa.
- MCCXLIV. Fuit in Monasterio ut hospes Magister *Petrus* electus, sed non acceptus, Episcopus *Cizensis*, Vir apprime doctus.
- MCCXLV. *Ajunt*, *Heremannum* struxisse Præposituram *tom Rohden*, ubi templum *S. Mariae Magdalene* erat.
- MCCXLVI. Idem dedit servo suo *Marco bodam* (\*) in *Böxen* cum alimentacione ad vitam suam dies.
- MCCXLVII. Translocantur sorores de *S. Egidio* in *Vallem Dei* seu *Beringbusen*. *Richodo* Abba in *Marimönster* promittit nobis in festo *S. Martini* singulis annis octo quartalia filiginis, quatuor quartalia hordei, & duodecim quartalia avenæ. Diu ei litigia fuerant cum *Hermann* nostro ob decimas in *Winnechen*. Sed ex concordia utriusque promissio ista nobis facta.
- MCCXLVIII. Fundatur monasterium FF. Minorum in *Höxori* ex bonis *Corbeien-* fibus.
- MCCXLIX. *Burgenses* in *Hüxori* obtinent licentiam super *Wisarah* pontem struendi.
- MCCL. Obtulit *Hermannus* Abba noster Conventui meditationes suas sacras in *Psalms Davidicos*, sacro spiritu plenos.
- MCCLI. Obiit idem *Hermannus* laboriosus homo. Quiescat in pace!
- MCCLII. *Simon*, Episcopus in *Patherbrun*, fit Provisor Monasterii nostri. *Albertus*, Dux *Brunsvicensis*, multum dedit *S. Vito* pro intercessionem eius apud *DEVM*, cum contra *Belam*, *Hungariz* Regem, expeditionem suscipiebat.
- MCCLIII. *Egil* nobilistres dedit mansos *S. Mariae Magdalene*.
- MCCLIV. *Quirinus* de *Starschetel*, Mag. Novitiorum, alius monasterii Professor, claruit apud nos ob varia studia.
- MCCLV. Fit infigne miraculum in puella quadrienni ex *Bosseborn*, quæ tota erat contracta, ad contractum *S. Iustini* Martyris, Patroni nostri.
- MCCLVI. *Alexander IV.* Papa, ordinis nostri, omnia privilegia, donationes & bona confirmat sollempniter.
- MCCLVII. Misit nobis Præpositus in *Gröningen* *Herrandi* sermones super epistolam *S. Jacobi*, quos conscripsit apud *Reinbartsbron* in *sylva Doringia*. (\*\*)
- MCCLVIII. Scripsit nobis Episcopus *Ratisponensis*, (\*\*\*) *Simia Aristotelis* dictus.
- MCCLIX. Eligitur *Tymo* Abba noster, & *Simon* Provisor dimissus est. Emitur *Hamela* civitas ab Ecclesia *Mindinensi*.
- MCCLX. Villæ nostræ propter guerram *Mindinensem* & *Luneburg*. non modicum vastantur.
- MCCLXI. Ardua meditatatur *Tymo* noster. Sed quo discordia duxit fratres?
- MCCLXII. Visitatur & reformatur Imperiale monasterium in *Heresburg*.
- MCCLXIII. *Cbounratus*, Abba in *Bozau*, Ordinis nostri, per quinque dies fuit apud nos.
- MCCLXIV. Iuniores FF. in *Heresburg* sacram habuere comediam de *Iosepho* vendito & exaltato, quod vero reliqui Ordinis nostri Prælati male interpretati sunt.
- MCCLXV. *Magnus* de *Beverungen* a cane, forte rabido, morsus, ruit in ignem & seipsum concremavit.
- MCCLXVI. Transfertur Ecclesia nova *S. Pauli* à *Simone*, Episcopo in *Patherbrun*, ad *S. Petrum* in *Höxor*.

MCCLXVII.

(\*) *boda* seu *buda*, domuncula, taberna.(\*\*) factus est Abbas in *Ilfenborch*, & tandem Episcopus in *Halberstat*.(\*\*\*) *Albertus* vulgo, *Magnus*.



- MCCLXVII. Magna discordia inter FF. nostros & Canonicos *S. Pauli*, qui contra jus & fas defecerunt à Matre sua.
- MCCLXVIII. *Herman à Bracle* Miles in ipsa processione *S. Viti* ex ebrietate multa fecit, scandala.
- MCCLXIX. Puer per quinquennium *mutus*, ab improviso tonitru in templo perterritus, subito loqui cepit.
- MCCLXX. Oppidum *Volcmessen* ad patrimonium *S. Viti* dedit multum.
- MCCLXXI. *Höxori* vastatur. Abba *Fuldensis*, Amicus noster, inter sacra occisus.
- MCCLXXII. Obiit *Tymo*, Abba noster. Quiescat in pace! Successit *Heinricus de Homborch*. Oppidum *Einbek* à *Bernarto de Dassel* pressum & vexatum, ad *Brunsvicenses* venit.
- MCCLXXIII. *Hugold de Dorringsen* & *Georg*, de *Lutborst* cum omni patrimonio suo intrant Monasterium.
- MCCLXXIV. *Adolphus de Walmundstein* inter benefactores nostros locum sibi fecit.
- MCCLXXV. *Lupa* cum catulis suis mane reperta est in templo *Boffezensi* juxta altare, cum forte custos ostium non clausisset.
- MCCLXXVI. *Ditmarus de Popenburg* requiem sibi paravit apud nos. Q. I. P.
- MCCLXXVII. *Vitus Zöler*, rusticus in *Bosseborn*, à diabolo strangulatus in prato suo, ob horrendas blasphemias.
- MCCLXXVIII. *Albertus*, Præpositus noster, multas facit molestias Prælato suo *Henrico*, à vicino Abba irritatus.
- MCCLXXIX. Confirmatur fundatio & translatio monasterii *Vallis Dei*.
- MCCLXXX. Confirmatur *Simonis* Episcopi translatio Ecclesiæ novæ ab *Otione*, Episcopo in *Patherbrun*.
- MCCLXXXI. Inde autem multa mala & scandala.
- MCCLXXXII. *Gregorius Leeb* multa abstulit ex templo in *Albax*.
- MCCLXXXIII. *Luitolpb Watergrev*, Mercator in *Bremen*, conversus, serviit apud *S. Mar. Magdalen*.
- MCCLXXXIV. Promittunt Canonici *S. Pauli* ad Ecclesiam suam reverti, sed non servârunt.
- MCCLXXXV. *Rudolph*. Aug. Imp. confirmat jus foresti in *Solingo*.
- MCCLXXXVI. *Honorius* IV. confirmat omnia privilegia nostra sollempniter.
- MCCLXXXVII. *Laurent*. *Larsberger* facello in *Förstenaw* multum contulit liberaliter.
- MCCLXXXVIII. *Adam Spâner* dedit novum altare, cum omni apparatu & ornatu in *Böxen*.
- MCCLXXXIX. *Sixtus Kather*, benefactor templi in *Bruckbus*.
- MCCXC. *Henric. Suthem*, primarius inter benefactores templi *Amelanx*. Obiit miserè, piè tamen.
- MCCXCI. *Iustinus Lüttker* cum Heva sua, ex singulari devotione seculo renunciat. Ille fit ostiarius noster, hæc autem serva dominarum in *Valle Dei*. Magno zelo claruit hæc & ille.
- MCCXCII. *Caspar de Bonn* dedit Abbæ pro equo pomarium suum ampliorem cum horreo & stabulo in *Meinbrexen*.
- MCCXCIII. *Martinus Treschart*, conversus, apud nos rei œconomicæ ita serviit, ut adhuc memoria ejus in benedictione sit.
- MCCXCIV. *Celestinus* V. Ordin. nostri, confirmat omnia privilegia nostra sollempniter.
- MCCXCV. *Abasverus Grovert* fecit concambium cum Abba nostro, cui dat pratum suum longum ante *Blanckenow*, pro domo & area in *Förstenow*.
- MCCXCVI. *Lutter de Insula*, confrater noster, de consensu & dispensatione *Pape*, matrimonium iniit: an bene seu malè, ipse videat.
- MCCXCVII. *Jacob Reigber*, Venator noster, à Comite de *Euersten* in *Sollingo* occisus; qui tamen pro expiatione criminis sui Ecclesiæ nostræ multum benefecit.
- MCCXCVIII. *Gotschalk Märker* egregius Picior, dum forte diabolum pingeret, à spectre territus & ita exagitatus, ut brevi post obiret.
- MCCXCIX. *Wicholdus*, Tutor noster, insignis benefactor.
- MCCC. Comburitur Ecclesia nostra cum facello *S. Remacii* a *Witboldo* nostro condito.
- MCCCI. Redditur monasterio dimidium decimæ *Höxoriensis*. Obiit *Heinricus* Abba. Q. I. P. Successit *Ropert*. de *Horobusen*.
- MCCCII. *Gregor. Kümmler* in *Ovenhus*, & *Seb. Millinger* in *Gadelhem*, pro pœna dare debent singulis annis in festo *S. Stephani* duo luminaria cerea, quodlibet quatuor talentorum, ipsi & hæredes eorum in perpetuum.
- MCCCIII. *Helena Vechert*, pro felici reditu unici filii sui ex terra sancta, innovari & reparari jusfit templum in *Lüchtringen*.
- MCCCIV.



- MCCCIV. *Bibliotheca* nostra aucta liberalitate laudabili *Wilhelmi Ammons & Sabine Mon-*  
*deschz.*
- MCCCV. *Simon Ranstedt*, Canon. in *Mindin*, factus est choralis & confrater noster, sed  
absque votis ordinis.
- MCCCVI. *Paulus Nomborger*, Presbyter & Senior Vicarius in *Gozler*, cum jam quadra-  
gesima vice festo *S. Viti* interesset: coram altari & imagine istius *S. Viti* altero mane procum-  
bens & devotionem suam habens, repentina apoplexia tactus, in momento obit: sepultus  
apud nos honeste, Summus *S. Viti* cultor.
- MCCCVII. Annus felix & fortunatus in omnibus. Deo gloria.
- MCCCVIII. Ex esu & usu fungorum venenatorum, præter consuetudinem in  
campo *Lüre* nascentium, notabilis pecorum strages. Suspicio cecidit in opilionem ex *Holt-*  
*mintz.*
- MCCCIX. *Agnes Lobeim*, Sanctimonialis in *Kannat*, habitum sumit fororum in *Valle*  
*Dei*, arctioris disciplinæ cupidior.
- MCCCX. *Lazarus Bombek*, ephippiarius, &
- MCCCXI. *Albertus Gurgler*, scriniarius, uterque viduus, omnia sua capellæ *S. Gertrudis*  
legant, & facti sunt in Monasterio nostro fratres laici.
- MCCCXII. Abbatia in *Heresburg* combusta.
- MCCCXIII. Ius Patronatus cum proprietate Ecclesiæ parochialis *S. Matthiæ* in *Grü-*  
*ningen*, quantum ad *Corbeiam* spectat, monasterio ibidem liberaliter confertur, in die *Grego-*  
*rii* Papæ.
- MCCCXIV. *Krato* Prior noster, obit apud propinquum suum *Iodocum de Valckenberg.*  
Q. I. P.
- MCCCXV. Castrum *Tonenburg* construitur. Incendium in *Bossezen*. *Hermannus de Ever-*  
*stein*, cum consensu Fratris sui *Otonis* Monasterio nostro tradidit tres mansos cum dimidio in  
campo *Stabl*, & ad montem sitos.
- MCCCXVI. *Petrus Dingsted*, dum Fratrem *Maurum* per *Solling* comitatur, præeuns  
illum, à Venatore ex improvise globulo plumbeo trajectus. Venator cum *Mauro* securitatis ergo  
sponte in Monasterium fugiens, culpam deprecatur, & cum casus factus esset non ex propo-  
sito, absolutionem impetrat.
- MCCCXVII. *Rudolph. Capler* innovationem & confirmationem omnium privilegiorum  
Romæ attulit: in specie Monasterii *Kannat*, *Väsbeck*, *Schaken*, *Werben*, & *F. F. Minorum* in  
*Höxor*.
- MCCCXVIII. *Philipp. Mögler*, rusticus opulentus in *Weretban*, capellam *S. Francisci &*  
*Erasmi* reparari & innovari curat.
- MCCCXIX. *Fabian. Schätzer*, Molitor in *Otbergen*, lumen perpetuum dedit *S. Annæ* ibidem,  
cujus imago vere risisse dicitur, si narrationibus hominum credere fas sit.
- MCCCXX. *Monica Siebchen*, jam christiana ex *Iudæa*, raro religiositatis zelo claret.  
Raro enim verè convertitur ista gens, quandoquidem plerunque aliquid fermenti re-  
manet.
- MCCCXXI. *Paulus Ilmner* Canonicus *S. Petri*, habitum sumit in *Amelsborn*, factus po-  
stea Scholasticus in *Gotinga*. Vir doctus & bonus Musicus. Obiit peste.
- MCCCXXII. Abba etiam doceri iussit *Mathefin* juniores nostros per *P. Richarium*, quæ  
hactenus neglecta erat.
- MCCCXXIII. *Heinricus Ledebur*, Miles, in senio tandem fit conversus in *Marimönster*:  
ob dissidia vero cum Fratribus ibidem ad nos venit, & mortuus hic. Bonus Commona-  
chus.
- MCCCXXIV. *Ciconia nitulans* in palatio nostro *Cæsarum*, serpentibus & buffonibus to-  
tam aream & hortum nostrum replevit. Cum enim frustilla quædam de insectis è nido in terram  
caderent, regenerabantur alia, quæ se multiplicantia, hominibus & pecori ingrata erant. De-  
structus ergo nidus.
- MCCCXXV. Occisus est Archi-Episcopus *Magdeburg Burckhart de Scraplau*, consan-  
gvineus *Engelberti* nostri. Cantavimus ei requiem.
- MCCCXXVI. *Georg de Bruckbus* in villa sua vidit canem tricipitem vivum. Mira con-  
certatio anserum & anatum in *Dimola*, hi tamen victores fuerunt. Obiit *Cathrina de Wolden-*  
*berg.*
- MCCCXXVII. *Blasius Delizer*, quem custodem fecerat Abba corporis sui, cum multis  
litteris aufugit ad alium, ingratus & infidelis servus.
- MCCCXXVIII. Iudicium *Höxor*. à *Themone Greve*, cum consensu hæredum emtum est  
pro CC. marc argenti *Höxor*. Controversia Abbæ cum Episcopo in *Hilleneshem* super *Dassel*:  
Abba tandem vicit. *Lothewicus Domicellus de Everstein* omne jus suum & partem in *Advocatia*  
*Etrossana* *Corbeix* contulit.
- MCCCXXIX. Obiit *Matthias*, Metropolitanus noster & benefactor. Q. I. P.



- MCCCXXX. *Ioann. de Steinburg XII.* Apostolos in statura virili pulcre depictos, in memoriam sui, Conventui dedit.
- MCCCXXXI. Effigies *S. Adelarti* nostri visa est sudasse in facie sua. *Absterfus* sudor, alius tamen mox successit *Kal. Iun. Vrsula de Lohr* obit, benefactrix nostra.
- MCCCXXXII. Fit concordia perpetua cum Capitulo & Ecclesia nostra ac oppido *Höxor.* Pax simul burgenfis inter Episcopum in *Patherbrun* & *Abbam* nostrum super *Beverungen.*
- MCCCXXXIII. Obit *Rupertus. Q. I. P.* Successit *Tidericus de Dalwicz. Hermannus,* Abba in *Marimönster,* condidit *Fort & Breteborn.*
- MCCCXXXIV. *Albrechtii de Stobem & Margreta de Nannexen* lites, ratione curiæ & quatuor manforum, ab Abba nostro componuntur.
- MCCCXXXV. *Tidericus* renovat mandatum *Marchwarti & Wicholdi* de conscribendis analibus & *chronicis monasticis.*
- MCCCXXXVI. *Daniel Bobenbus* attulit ex *Belenberg* alaudam quadrupedem, quam in refectorio diu habuerunt *Novitii* nostri.
- MCCCXXXVII. *Lippold de Luthorst & Adam de Oltersbusen* arbitrum eligunt *Tidericum* nostrum.
- MCCCXXXVIII. *Burckhart de Butzleben, Philipp de Hardenberg, Achatius de Karsenbroch, Beata de Hasvöert, Otto de Exter, Beka de Nette, Henricus de Walnud, Vrich de Plesse, Reinart de Schonenberg, & Gunzel Wrede* in necrologio inter benefactores laudantur.
- MCCCXXXIX. *Felix Zahner* in *Blanckenow* per totam vitam suam non comederat panem; lacte, caseo, & in ætate pomis, pyris crudis & immaturis &c. contentus; robustus interim & quadratus.
- MCCCXL. *Adelgunda de Ecksted* panem propter Deum petens, casulam sibi struxit ad *Wifarah,* cui *S. Vitus* apparuit, & felicem obitum prænuñciavit, qui etiam eodem die & horâ secutus est.
- MCCCXLI. *Henricus Nasert,* Vicarius in *Patherbrun,* multas antiquas membranas dedit *Tiderico* nostro.
- MCCCXLII. *David Nettelberg* familiam *Dalwiczianam* accuratè descripsit, & magnam gratiam promeruit.
- MCCCXLIII. *Cuno de Albaxen,* in schola nostra institutus, Canonicus fit *Bremensis,* tandem Regis in *Anglia* Consiliarius.
- MCCCXLIV. *Bartoldus de Campen* in prælio occisus, sepulturam per suos petiit in *Monasterio.*
- MCCCXLV. *Innocentius* Papa confirmat omnia privilegia nostra.
- MCCCXLVI. *Lucia de Donop, & Eva de Gladebek* cum summo dissenfu Parentum monasteria intrant: illa, ut ajunt, *Fredelsbemensè, & hæc Kamnatsensè. Tidericus* vero parentes earum placuit.
- MCCCXLVII. *Sylvester Bünteln* vidit gladium igneum super *Höxor.* Quo disparente, successit non procul urbe in nubibus *virga,* quâ pueros cædimus.
- MCCCXLVIII. *Mechildis* pia Matrona, dat VII mansos in *Kelverthal.*
- MCCDCXLIX. Fit amicitia inter Ecclesiam nostram & *Ottonem C. de Waldek. Karolus IV.* dat *Abbæ* nostro potentiam ordinandi *Comites liberos (\*)* ubivis.
- MCCCL. *Hayno de Uslar* veneno sublatus à Monacho mendicante, sed à laico fratre.
- MCCCLI. *Dorothea Rosserin,* fatidica mulier, prædixit *Monasterio* nostro exitium.
- MCCCLII. *Hermannus de Bodenbusen,* Canonicus in *Hilleshem,* sæpius cum *Tiderico* nostro de *Antiquitatibus* sermones habuit. Illarum enim valde peritus erat.
- MCCCLIII. *Hildebolt. de Bevern* multos libros, in bello acceptos, *Bibliotheca* nostræ intulit. Magni satis pretii erant.
- MCCCLIV. Lis inter Ecclesiam nostram & *Ministeriales de Didenbusen* componitur.
- MCCCLV. *Arnold. de Valckenberg* Miles duxit *Dalwicziam* Virginem, cum consensu *Abbæ* nostri. Inde ei multa salus.
- MCCCLVI. Obit *Tidericus* Abba noster. *Q. I. P.* Multum dotavit sacellum *S. Remacli.* Successit *Henricus Spegel de Desenberg.*
- MCCCLVII. *Wernerus de Asche* in *Köterberg* obvium habuit diabolum in forma *Mor-nachi,* qui iussit, ut confiteretur ei. Sed adjutorio divino elapsus est, & votum fecit *S. Vito.*
- MCCCLVIII. *Christian. Cramm & Christoph, de Swichelt* spectra negantes, misere ab iis hinc vexantur, cum tamen nemo apud nos in ista camera unquam aliquod vidisset vel audivisset.
- MCCCLIX. *Christoph. Schellman* *Genealogiam* Nobilium de *Spegel* à se conscriptam offert *Henrico* nostro, qui laborem largè compensavit.

MCCCLX.

(\*) *Frey-greben,* in valescente paulatim iudicii *WVestfalici* abusu.



MCCCLX. Fit *Heinricus*, Abba noster, Episcopus in Patherbrun, at simul Tutor & Provisor Ecclesie nostrae: *Reinhart* verò de *Dahwich* Abba noster.

MCCCLXI. *Nicolaus Gürtelman* vitam *S. Werini* nostri in *Hilleshem* repertam, nobisque ablatam, *Bibliotheca* reddidit.

MCCCLXII. Circa hunc vel sequentem annum fecit sibi primum *Suffraganeum* *Heinricus* Episcopus.

MCCCLXIII. Ministeriales de *Brakel*, *Erkelsheim* & *Hemmesen* magnos faciunt motus & vastationes in territorio nostro. Sed pulsi, capti, caesi.

MCCCLXIV. *Reinhartus* noster abijt *Erfurtum*, melioris tranquillitatis causa.

MCCCLXV. Promittit Capitulo & Ecclesie suae nil contra jura & immunitates facere, solis Conventualibus officia monastica conferre, antiqua instrumenta non revocare, sed omnia, ut fas & justum est, facere.

MCCCLXVI. Die crastino *Innocentium* reversales dedit nobis *Heinricus* in Patherbrun, ut Tutor Ecclesie nostrae, in quibus multoties ultro ipse, una cum toto Capitulo suo, territorium nostrum vocat *Diocesin*.

MCCCLXVII. Obiisse videtur *Reinhartus*, Abba noster. Q. I. P. Successit *Ernestus* inutilis homo. Obijt *Ioannes* Praepositus *S. Alexandri* in *Einbec*, X. Kal. Jun. benefactor & confrater *S. Viti*.

MCCCLXVIII. Optimi quique Monachi aliorum eunt, paucis relictis, ut socios habeat devorator Monasterii.

MCCCLXIX. Deponitur *Ernestus* ob malam administrationem.

MCCCLXX. Successit *Bodo* C. de *Pymont*, prudens, modestus, doctus & pius.

MCCCLXXI. *Lambertus Merboff*, Monachus in *Bursfeld*, in *balneo diaboli* (\*) periisse dicitur.

MCCCLXXII. *Iohann.* & *Georgius* de *Minnigrod*, fortissimi Milites, uterque adhuc caelebs, pro receptione in fraternitatem *S. Viti* quisque dedit centum aureos, & insuper pretiosa ornamenta sacerdotalia.

MCCCLXXIII. Confirmat *Bodo* noster jura & privilegia civitatis *Höxor*, quam specialiter amabat eum.

MCCCLXXIV. *Florianus* de *Harvoert* à Monasterio Romam missus, functus est officio suo dexterrime.

MCCCLXXV. Magna inundatio *Wifarah*: magna tamen fertilitas anni.

MCCCLXXVI. *Chounratus* de *Brunsborg* visitans *Brunsborg*, *S. Martino* multum benefecit.

MCCCLXXVII. Cum *Karolus* Rex *Minda* esset, adiit eum *Bodo* noster, & gratus fuit Regi.

MCCCLXXVIII. Multi nobiles Viri hac aetate apud nos, & quisque gratus fuit.

MCCCLXXIX. *Ioachimus* de *Bramburg* varios libros arabicos & ebraicos, in *Hungaria* bello olim acceptos, dedit *Bibliotheca*.

MCCCLXXX. *Engelbartus* de *Winhusen*, Decanus in *Einbec*, *Tiderico* varia ornamenta ecclesiastica attulit, pro receptione in *Fraternitatem*.

MCCCLXXXI. Promittit Ecclesiam novam in personis & bonis suis tueri *Bodo* noster.

MCCCLXXXII. MCCCLXXXIII. Multa acquirit bona emtione, permutatione, donatione, à diversis Christi fidelibus, summis & imis; domi forisque industrius & laudabilis.

MCCCLXXXIV. Vendit *Simoni*, Episcopo in Patherbrun, proprios homines suos utriusque sexus in *Papenhem* pro CXXV. marc. argenti, *Warbergensis* ponderis & monetæ, reservans sibi jus reemendi.

MCCCLXXXV. *Magnum foedus Westphalicum* *Bodo* noster suam personam auxit & subscripsit.

MCCCLXXXVI. C. de *Schaumburg*, *Homborg*, *Pymont*, *Euerstein* & *Swalenberg* colloquium suum habebant in Monasterio. Inter alia quisque utilem librum donavit *Bibliotheca*.

MCCCLXXXVII. *Otto* de *Stockbus* bona quæque consilia in variis rebus suppeditavit *Bodoni*, qui gratus fuit illi.

MCCCLXXXVIII. Sacellum *S. Remacli*, in paradiso Ecclesie nostrae, multis auctum est bonis à *Bodone*.

MCCCLXXXIX. Totus conventus ab eo in castro *Pymont* refectus & paterne tractatus est. [In margine leg. in villa *Lüde* (\*\*) prope castrum *Pymont*.]

MCCCXC. Fit transactio cum *Ottone* de *Spegel*, Canonico in Patherbrun & Praeposito novae Ecclesie, super *Wertheram* in *Wifarah*. Incorporatur Ecclesia *S. Dionysii* in *Thulen* Conventui in *Heresburg* à *Bodone* nostro, in vigilia Pentecostes.

(\*) palus est hujus nominis.

(\*\*) id est non longè à loco ubi nunc *aidula* frequentantur.



MCCCXCI. *Iacobus Rebok*, doctus Monachus & Capellanus Abbæ nostræ moritur, omnibus pietatis, doctrinæ & patientiæ exemplum relinquens.

MCCCXCII. Oppignorat Abba noster *Hermannus de Pyrmont* decimas de lupulo in *Brunsbere* pro CC. aureis. Dedit largas elemosynas ad reparandum novum templum *S. Laurentii* in *Dassele*.

MCCCXCIII. Promittunt *Hermannus Comes de Everstein*, & *Bodo* noster sibi invicem, ut neuter partem suam, quam in castro *Holemin* habeat, venderet, oppignoraret seu abalienaret. Mox tamen *Bodo* totum castrum tradit *Heremanno*.

MCCCXCIV. Fit pax *burgenfis* inter *Bodonem* nostrum & *Heinricum de Homborg* in die *Oswaldi*.

MCCCXCV. Obiit Abba noster *Bodo*. Q. I. P. Successit *Tidericus* Monachus *Helmwartz* hufanus, nulli utilis.

MCCCXCVI. Depositus est *Tidericus*, ignavus & ineptus homo. Successit *Arnolph*, de *Wolf*.

MCCCXCVII. Confirmat omnia Prædecessorum suorum jura & privilegia Monialibus in *Valle DEI* data. Utiliter præfuit. Simplex enim & rectus in omnibus.

MCCCXCVIII. Obiit *Arnolph* Abba. Q. I. P. Successit *Wülbrant* de *Hallermund*. In die *S. Margarethe* desolata capellæ *S. Viti* in *Gozlar* jus Patronatus Senatui ibidem tradit, ut reædificetur capella, & Sacerdos ordinandus alternatim à Monasterio nostro & Senatu præfentari debeat.

MCCCXCIX. Optime præfuit in temporalibus & spiritualibus Abba, Oeconomus, architectus, promus & condus.

MCCCC. *Martinus Mohhart*, *Wülbranto* carus & fidelis, archivum excussit & in ordinem redegit. *Bruno Veibde* abit in terram sanctam.

MCCCCI. *Gerlacus* de *Wyda S. Michaeli* in *Förstenaw* altare dedit cum horto & area.

MCCCCII. Reparatur facellum *S. Geverudis* & mandatum, ut singulis matutinis Missa celebretur pro ægrotis in genere, ubi illi fuerint.

MCCCCIII. *Iohann*, de *Borcholt*, Canon. *S. Petri*, dives & fenex, omnia sua Matri suæ spirituali donavit postobitum.

MCCCCIV. *Franciscus Busch* argenteum dedit *S. Vitum*, in forma pueri.

MCCCCV. *Simeon Osterholt* litaniam Sanctorum variis in locis correxit, sed male ecessit temeritas.

MCCCCVI. *Guntherus Coënhus*, Vicarius in *Einbec*, in agone ferè positus, curru vectus est ad nos, & patrocinio *S. Viti* paucos post dies sanus & hilaris domum rediit.

MCCCCVII. *Robertus Hilpert*, scriba Abbæ nostræ, describere cœperat omnia privilegia nostra ex Originalibus, quibus tria grandia Volumina destinata erant.

MCCCCVIII. Abiit *Wülbrant* noster ad Ecclesiam *Mindin*, ut Episcopus electus. Successit *Tidericus Runst*.

MCCCCIX. Monachi Ord. August. in *Einbec* accipiunt bona à Monasterio nostro in *Dethardsen*. Monasterium *Bodeken* datur *Canonicis* (uti barbare & inepte vocantur) *Regularibus* à *Wilhelmo* Episcopo in *Patherbrun*.

MCCCCX. *Wülbrantus* noster, nunc Episcopus, *S. Vito* pretiosa donaria misit.

MCCCCXI. *Philippus* de *Cassela*, *chronici Pyrmontani* confarcinator, detulit id ad Episcopum in *Mindin*.

MCCCCXII. *Thomas Knieffetz* lapides & calcem donavit pro structura Oratorii *S. Catharinae*.

MCCCCXIII. *Caspar Dulert*, figulus in *Höxor*, farmâret sibi *S. Viti* effigiem, ut coram lecto suo poneret, & Patroni sui semper meminisset. Dictus inde à scoticis *Vitz Dutz-Brer*,

MCCCCXIV. Fiunt multa Miracula in monte *S. Jacobi* nostræ Diœces.

MCCCCXV. *Iustin Ströber*, devotus rusticus in rusticus in *Stabl*, nunquam templum ingredi voluit nisi nudis pedibus, ob reverentiam sanctissimi loci.

MCCCCXVI. *Bernart*, & *Heinric*. Duc. de *Brunswich* votum faciunt *S. Vito*, quod, si capiant castrum *Euersten*, *Tiderico* nostro in *Bevern*, *Sulbek*, *Luchtringen*, etiam in *Sollingo*, befacere velint, & in quietâ possessione jurium suorum relinquere.

MCCCCXVII. Cum *Tiderico*, Episcopo in *Patherbrun*, dat licentiam Noster, ex *Beverungen* oppidum formare, idque muris cingere, & portis ac turribus munire, ad meliorem defensionem Ecclesiæ. Obiit hoc anno *Tidericus* noster. Q. I. P.

MCCCCXVIII. Successit *Mauritius C.* de *Spegelberg*, juvenis adhuc. Confirmat jura & privilegia *Höxor*.

MCCCCXIX. *Wernerus* de *Negenborn* mortuâ primâ conjugē sine liberis, sacrum habitum de manu *Mauritii* sumfit.

MCCCCXX. *Hilmar*. *Oesen* putabat, se cepisse leporem in campo prope *Otbergen*. Sacco igitur injecit, & domum portavit, ubi astu Dæmonis conversus erat in putidum corvum.



MCCCCXXI. *Lutrud. de Brantfels & Gesa de Pabnem*, conforores nostræ spirituales, omnem suum ornatum *S. Stephano* dederunt.

MCCCCXXII. *Erasmus Drogge*, auceps & piscator, mirabilia Fratribus narravit de spectris à se visis in sylvis nostris, & ad *Wifarah ac Netham*. Si vera essent omnia, inter admiranda scriberem.

MCCCCXXIII. *Nicolaus de Eremitis* à Monasterio *S. Galli* ad nos venit, factus lector; postea Abba, ut ajunt, in *Helvetia*.

MCCCCXXIV. *Rimbertus Klenck*, bonus Declamator, ad Episcopum *Salisburgensem* vocatur. Missus deinde in *Hungariam*, contra *Turcos* prædicavit.

MCCCCXXV. *Reinartus de Dimolab*, Pastor antea ad *S. Magnum*, fit monachus in *Amelsborn*, postea Abba in *Diœcesi Moguntina*.

MCCCCXXVI. *Cyriacus Rotter*, Pastor in *Schaken*, de Comitibus in *Svalenberg* prolixum scriptum sibi fecit à prima eorum origine. Iacet id nunc apud Comitem de *Waldeck*, qui est in regimine.

MCCCCXXVII. Incorporantur Ecclesie *S. Viti* in *Westhem*, & *S. Michaelis* in *Vastenbec* Conventui in *Heresburg* cum consensu capituli nostri, ut antea Ecclesia *S. Magni*. Claruit *M. Iohannes de Hoxaria*, doctus vir.

MCCCCXXVIII. *Iuliana Everhartin*, Priorissa in *Kammât*, reformato nuper Monasterio ibidem, Sede vacante, optimè præfuit, disciplinæ monasticæ strenua observatrix.

MCCCCXXIX. *Ernestus Roschart*, Sacerdos in *Oerlingshusen* Comitem de *Padberg* ad liberalitatem erga nos commovit, pro refrigerio animæ suæ. Submersus erat in seculo vanitatum, nunc autem per *DEI* gratiam totus immutatus.

MCCCCXXX. *Gregorius Hyrte*, Lector in vicino Monasterio, omnium Pontificum in *Venden* vitas ordine & prolixè descripsit, interjectis multis rarioribus rebus.

MCCCCXXXI. Confirmat *Mauritius* Abba contractum Capituli Corbeiensis cum *Choun-rato de Martzbus*, præposito *tom Rhoden*, duas præbendas à Præpositura Monasterio nostro dandas concernentem.

MCCCCXXXII. *Lothewicus* Landgravius *Hassæ*, omni juri in *Kotwinckel* prope *Dringenberg*, & in decimis in *Meinbrenen* renunciat.

MCCCCXXXIII. *Benedictus Engler*, Monachus in *Bursfeld*, integram vitam nobis misit *Richardii Fuldenfis*.

MCCCCXXXIV. Abba noster cum *Ottone de Brunswich* pacem fecit. Obit paulo post hic. Q. I. P.

MCCCCXXXV. Successit *Arnolph de Malsborg*, Abba prius *Helmwarteshusanus*.

MCCCCXXXVI. *Ansgarius Ocht* à *Diœcesi Würzburg*, pulcro & altiori stylo descripsit vitam *S. Burckharti*, Commonachi nostri, & *S. Bonifacii* propinqui, totius *Diœces. Patroni*.

MCCCCXXXVII. Natus sum in festo *S. Antonii* Eremitæ, à quo nomen mihi est. Reverales dat *Stephanus de Malsborch*, Præpositus novæ Ecclesie *S. Pauli* in die *S. Matthiæ* Apostoli, in quibus fatetur, Ecclesiam istam totam spectare ad *Corbeiam*. Vocat enim Abbam *ibren leven genedigen Lain-Heren*.

MCCCCXXXVIII. *Hartmannus de Porta* à *Burckbarto*, Episcopo in *Halversted*, & Magno in *Hilleneshem*, singularia donaria nobis attulit.

MCCCCXXXIX. Ministeriales de *Malsborch* varia beneficia accipiunt ab *Arnolpho* nostro propter officia & fidelitatem, ut dicitur, sed non sine damno nostro.

MCCCCXL. *Tidericus Hall* in die *S. Gothardi* obit. Q. I. P. cantavimus benefactori requiem, eamque promissimus conthorali ejus *Elisabet Busch*.

MCCCCXLI. *Petrus Lintholt*, cocus noster, multa pretiosa in templo abstulit. Factus postea fugitivus miles, mox autem de patibulo suspensus.

MCCCCXLII. *Volckmarus Steber*, doctus juvenis, de Monasterio in *Gerden* chronicon confarcinavit, & Capitulo in *Patherbrun* obtulit. *Michael Lyson* Canonicus occisus in via inter Monasterium & *Lüchtringen*; Nescimus vero à quo.

MCCCCXLIII. *Matthias Quintel* Presbyter in *Polle*, post mortem in campis & sylvis de die visus est à multis. Neminem læsit, omnes vero ad penitentiam commouit serio.

MCCCCXLIV. *Antonius Drakenog*, factò *S. Iacobo* voto, in monte ejus perfectè curatus est. Erat autem, ut ajunt, *hydropicus & vertiginosus*. *Maria* Domina in *Valle Dei*, ipso anno electionis suæ obit. Q. I. P. Erat summa benefactrix & instauratrix in omnibus.

MCCCCXLV. *Heinricus C. de Homborch* in templo Monasterii *Amelunxbornensis* inter sacra truculenter occisus à *C. de Eversten*.

MCCCCXLVI. *Marcellus Friger* de *Böxen*, Canonicus in *Hilleneshem*, fit Decanus *S. Petri*. Cum vero magis adhereret *S. Stephani & Viti* monasterio quam *Patherbrun*, & ideo invisus esset, resignavit, & antiquum nidum suum repetiit.

MCCCCXLVII. Missus sum studiorum gratia in Monasterium *Iburgense*. *Wilhelmus Misnia* *Marchio*, vastat *Diœcesin* nostram.



MCCCCXLVIII. *Polycarpus Fritler* de Beverungen, Vicarius in Patherbrun, pro re-  
quie & refrigerio animæ suæ in capella in *Amlunxen* hortum eidem dedit, ex hæreditate paterna  
acceptum. Diffidia oriuntur in Conventu nostro contra Abbam.

MCCCCXLIX. *Severus Adrian* de Gadelhem novum altare in honorem S. *Antonii* Eccle-  
siæ ibidem dedit. Factus postea ibidem Pastor, utiliter præfuit. *Georg Rübler* ex indiscreto ze-  
lo in Hungariam properavit.

MCCCCCL. *Werner de Surich* & conjux ejus *Iusta* Kaminatam in *Tyviste* vendunt *Wilhelmo*  
*Landgravo de Hasfia*, cum consensu Monasterii nostri, pro MC. aureis.

MCCCCCLI. *Wilhelmus junior*, *Dux de Brunswich*, à *Comite de Wunstorp* captus, & in *Win-*  
*zenborg* ductus est.

MCCCCCLII. *Hubert. Sigmund* ad altare S. *Bonifacii* in *Albaxen* dedit duos mansos. *Regi-*  
*na Salmfen* & *Veronica* de *Steinbrug* devotissimæ mulieres, ut nec frigus, nec nox, nec fames ul-  
la eas à templo depelleret: sed assiduæ in eo rigidè vixerunt ad imitationem aliorum.

MCCCCCLIII. Missus sum studiorum causâ ad Avunculum meum, *Canonicum majoris*  
*Ecclesiæ Mimigardevordensis*, qui fideliter me educavit.

MCCCCCLIV. *Alexius de Campo amaro*, *Canonicus* in *Hilleneshem*, de omnibus redi-  
tibus suis sextam partem S. *Vito* obrulit, ideo, quod in gravi morbo auxilium ejus expertus fue-  
rat. Factus esset commonachus noster, nisi alii impedivissent.

MCCCCCLV. *Cornelius Schybe*, *Doctor Theologiæ*, factus est lector sacrarum pagina-  
rum, sed non diu mansit hic. Vocatus enim in *Reinertsborn*, tandem fit Abba. *Daniel Are-*  
*tæus*, singularis artifex in variis sculptilibus, à Rege in *Daniam* vocatur, qui eum magno in pre-  
tium habuit.

MCCCCCLVI. *Magdalena de Lütmerfen* duas curtes cum omni pecore & pertinentiis,  
inter *Alerfen* & *Holtmind* jacentes, pro remedio animæ suæ, ad capellam S. *Gertrudis* dedit.  
*Samson*, *Judæus* conversus missus est *Meppen*, & factus ibi laicus frater. Laudamus constanti-  
am ejus.

MCCCCCLVII. *Remigius Drimlerus* de *Schaken* omnia istius Monasterii privilegia, à  
Summis Pontificibus & Imp. necnon ab aliis data & innovata, jussu *Dominæ*, custodia Ab-  
bæ nostri & Conventus tradidit. *Samuel Schyrting* fere pervaserat *Arnolpho*, ut *Wifarah* circa  
monasterium circulariter duceret. Fratres maxime volebant; Abba vero tardavit, & bene fe-  
cit. Quam dulce videtur bellum inexpertis!

MCCCCCLVIII. *Bernard. Gall*, *Commonachus* noster de S. *Pantaleone* arctioris custodia  
ergo ad nos mittitur. *Georg Patz* in *Brüggenveld* à furioso tauro miserabiliter occisus est. *Sil-*  
*bylla* de *Förstenberg* duos mansos S. *Chyliano* dederat: mutata jam sententiâ suâ, eosdem nobis  
contulit.

MCCCCCLIX. *Jonas Burgsaat*, è monasterio *Werben* ad nos veniens, attulit multa chi-  
rographa istius Monasterii, quæ in custodiam sumisit Abba. *Caspar Gorfert* de *Ovenhusen* S.  
*Michaëli* Archangelo dat aream una cum pecuario.

MCCCCCLX. Miraculum fit cum sancta hostea in *Blomberg*.

MCCCCCLXI. *Andreas Brang* de *Bodenwerther*, Pastor in vicinia, extremam ruinam  
monasterio nostro vaticinatus est, quod ægrè ferebat *Arnolphus*.

MCCCCCLXII. Nascitur monstrosus infans ex vacca cum quatuor pedibus vitulinis, mox  
tamen mortuus.

MCCCCCLXIII. Abit *Commonachus* noster *Godescalc* de *Brobach* in *Turciam* ob marty-  
rium. Obit *Arnolphus*, Abba noster. Q. I. P. Succesit *Heremann*, de *Stokbus*, Prior antea  
*Helmwartesbusanus*, sub quo Monasterium intravi matura ætate, & jam subdiaconus.

MCCCCCLXIV. Cognatus meus *F. Lieutolph*, novitius adhuc, somniat, ac si serpentes  
in insigni nostro se invicem confoderent. Illâ ipsâ septimanâ venit nuncius, qui narrat, fra-  
trem ejus ab alio nostræ Gentis in duello necatum esse. Sic verum erat somnium. Hoc ipso  
anno, jussu Abbæ mei & cum auxilio ejus, hos confarcinare incepti annales. *Placidus* enim  
erat & doctus.

MCCCCCLXV. Multum spirat, parum valet bonus *Heremannus* ob tempora difficilia.

MCCCCCLXVI. Visitat *Heremannus* noster scholas & Ecclesias suas, & fecit quod po-  
tuit. Potuit autem parum. *Stokbem* & *Holsted* exuruntur & diripiuntur, cum aliis villis &  
oppidis.

MCCCCCLXVII. Confirmat jura & privilegia *Hoxor*.

MCCCCCLXVIII. Omnia inclinant ad ruinam.

MCCCCCLXIX. Ideo *Heremannus* luctu, mœrore & curis emaciatur. Obit *Venera-*  
*bilis Pater Iobannes* de *Indagine*, III. Id. Augusti, alter in reformatione Abba *Bursveldensis*,  
cui requiem cantavimus.

MCCCCCLXX. Obit *Heremannus* Abba noster. Q. I. P. Succesit *Heremannus* de *Bö-*  
*melnborch*. Miserrimus & pauperrimus Monasterii *Inclyti* status, ut etiam publicas lamentatio-  
nes in formam letaniæ componeret & decantaret *F. Heinricus*.

MCCCCCLXXI.



MCCCCLXXI. Abiit ergo cum licentia Superiorum, ut vocatus Magister Novitiorum, ad Monasterium *Herosveldense*. Interea DEVS misereatur Corbejæ! Ut *pietas & doctrina* Ordinem nostrum exaltavit: ita *luxus & socordia* eundem depresit. Sipienti fat!

## XXVI.

ROSUVITHÆ CARMEN  
de  
PRIMORDIIS & FUNDATORIBUS  
COENOBII GANDESEMENSIS,  
Ex MSto.

## PROOEMIUM CARMINIS.

**E**cce meæ supplex humilis devotio mentis,  
Gliscit felicit primordia *Gandeshemensis*  
Pandere *Cænobii*, quod cura non pigritana  
Construxere Duces Saxonum jure potentes,  
*Luidulfus* Magnus, clarus quoque filius eius  
*Oddo*, qui cœptum perfecit opus memoratum.

HROSVIDA GANDERSEMENSIS *Canonissa de*  
*Constructione Cænobii Gandersemensis.*

**O**rdo nunc rerum deposcit debitus harum,  
Ut prius illustris constructio GANDESEMENSIS  
Apto COENOBII recinatur carmine nostri,  
Quodnam construxisse DUCEM reverenter eundem,  
Constat SAXONUM; quem prædixi *Luidulfum*.  
Hic pernobilium natus de stirpe parentum,  
Ortus quique sui respondens nobilitati,  
Moribus egregiis usuque suæ probitatis  
Inter Saxones crevit laudabilis omnes.  
Namque fuit strenuus, forma nimiumque decorus,  
Prudens in verbis, in cunctis cautus agendis,  
Atque sui generis solus spes & decus omnis.  
Hinc nam Francorum magni Regis *HLUDOVICI*  
Militiæ (b) primus adscriptus pene sub annis,  
Ex ipso digne summo sublatus honore,  
GENTIS SAXONUM mox suscepit COMITATUM,  
Ac cito majoris donatus munere juris,  
Principibus (c) fit, Ducibus sed nec fuit impar.  
Quique suos omnes vicit pietate parentes,  
Non minus insignis pompa vincebat honoris.  
Cui CONJUX ergo fuerat prænobilis ODA  
Edita Francorum clara de stirpe potentum;  
FILIA BILLUNGI cuiusdam Principis almi,  
Atque bonæ famæ generosæ scilicet AEDAE  
Hæc igitur crebro precibus consueverat AEDA,  
Se totamque suam Domino committere vitam;  
Sæpius atque piis insistens sedula factis,  
Promeruit bene promissis edocta supernis,

Discere

(b) primis, (c) fit par.